THEOLOGIÆ MORALIS

INSTITUTIONES

A B

A. R. P. F. JOSEPHO-ARCHANGELO

A FRACTA MAJORI

ORDINIS MINORUM OBSERVANTIUM S. FRANCISCI, IN SACRA THEOLOGIA LECTORE JUBILATO, EX-MINISTRO PROVINCIALI, EX-DEFINITORE GENERALI, CLERI NEAPOLETANI EXAMINATORE PROSYNODALI, RECTORE ECCLESIÆ MONTIS CALVARII, ATQUE TERRÆ SANCTÆ, IN REGNO NEAPOLIS COMMISSARIO GENERALI.

IN SACERDOTUM JUVENUM UTILITATEM, EX VARIIS PROBATISQUE AUCTORIBUS COLLECTÆ, FACILI, ET CLARA METHODO EXPOSITÆ, ATQUE IN LUCEM EDITAE.

PARS III.

CONTINENS TRACTATUS

1. DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ
2. DE SACRAMENTIS
3. DE JUSTITIA ET JURE.
4. DE CONTRACTIBUS.

NEAPOLI MDCCCXXXVIII.

EX TYPOGRAPHIA RUSCONI

VIA S. ANNAE LOMBARDORUM N.° 37.

Superiorum facultate.

MORALIS THEOLOGIÆ

PARS IIII.

TRACTATUS I.

De Ecclesiae Praeceptis.

Decalogi Praeceptis, ea qua fieri potuit, brevitate simul, et claritate, explicatis, operae nunc pretium est, ut ad explicanda Ecclesiae Praecepta transeamus. Et quidem non minus illa, quam ista, humilem exquirunt fidelium omnium obsequium, atque exactam observantiam. Cum namque Ecclesia sit sponsa Christi, illius sanguine acquisita, et ab ipso in iis, quae fidei sunt, et morum edocta; atque hinc columna et firmamentum veritatis, quae errare non possit; cumque omnium fidelium pia Mater sit, et Magistra, potest, et debet filiis suis salutaria praecepta dare, quae ipsi accurate adimplentes, et filii obedientes haberentur, et virtutes exercerent, et Deo per omnia placere studerent, ut sic ab illo aeternam felicitatem consequi mererentur. Porro varia et multa, sunt omnibus temporibus ab Ecclesia data praecepta, variis fidelium statibus accomodata; sed quaedam praecipua sunt, quae omnibus fidelibus communia sunt, quaeque sub nomine Praeceptorum Ecclesiae, vulgo addiscenda, et exequenda proponuntur; et haec sunt sex, quae sequuntur; nempe 1. Audire Missam omnibus diebus Dominicis, aliisque Festis praeceptis; 2. Jejunare in Quadragesima, et Quatuor Temporum vigiliis; nec non Diebus Veneris, et Sabathi carnes non comedere; 3. Confiteri saltem una vice in anno; 4. Eucharistiam in Paschate Resurrectionis sumere; 5. Decimas Ec-

clesiae solvere; et 6. Nuptias in diebus vetitis non celebrare. Atque de his in praesenti Tractatu erit sermo noster, et quidem solita methodo facili, atque clara, ut Sacrae Theologiae Moralis Clerici studiosi, ea quae necessario scienda sunt, libentius addiscant, et memoriae teneant. Sit propterea.

CAPUT I.

DE PRIMO ECCLESIAE PRAECEPTO.

Scilicet audiendi Missam in diebus Dominicis, aliisque festis praeceptis.

Q. *Quid importat hoc praeceptum audiendi Missam?*

R. Importat assistere, modo humano, Sacrosancto Missae sacrificio, dum a sacerdote idoneo, in Altari celebratur.

Q. *Quinam tenentur hoc praeceptum servare?*

Omnes Christi fideles, non legitime impediti, cujusqunque sexus, et conditionis, postquam ad usum rationis pervenerint, ad hujus praecepti observantiam obligantur (1); Et quidem sive justi sint (2), sive peccatores (3).

---

(1) Porro ad usum rationis, ordinarie loquendo, non nisi post septemnium pervenitnr. At quoniam non raro evenit, ut in aliquibus usus rationis, etiam ante septemnium experiatur, non immerito isti ad talis praecepti observantiam teneri dicendi sunt.

(2) Et sane Tridentina Synodus Sess. VI. Can. 30. anathemate percussit omnes, qui hanc Propositionem; nempe; *Hominem justificatum, et quantumlibet perfectum non teneri ad observantiam mandatorum Dei, et Ecclesiae*, docerent.

(3) *Hujus quippe oblatione*, ait. ibid. Synodus Sess. XXII. Cap. 2. *placatus Dominus, et gratiam et*

Q. *Quaenam requiruntur, ut fideles rite huic praecepto satisfaciant?*

R. Quatuor requiruntur; nempe 1. Praesentia saltem moralis; 2. Intentio; 3. Attentio; et 4. Integritas.

Q. *Satisfaceret ne praecepto, qui Missam audiret e fenestra suae domus?*

R. Si domus est omnino conjuncta cum Ecclesia, itaut in pariete interjecto sit fenestra, ex qua habeatur aspectus in Ecclesiam, et facilissime videatur Sacerdos celebrans, ejusque ministerium et actiones attendantur, satisfacit praecepto. Si vero domus est omnino sejuncta ab Ecclesia, itaut inter fenestram et Ecclesiam mediet via, sive platea, et tunc dissidium est inter Doctores (1); Verum probabilius videtur non satisfacere (2).

Q. *Quid dicendum, si quis extra Ecclesiam positus, Missam audiret?*

---

donum poenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit.

(1) Quidam enim volunt satisfacere, inter quos Sporer n. 9. et 211. de Lugo, Gab., Clericatus Cap. 19. n. 7. Alii concedunt quidem satisfacere, dummodo tamen inter fenestram et Ecclesiam non sit magnum intervallum. Ita Mazzotta, Elbel, P. Franc. Henno, aliique. Alii vero omnino negant satisfacere. Ita Felix Potestas P. III. de I. Praec. n. 2790, Cuniliati Tract. VI. Cap. 2. p. 297. Ferraris V. *Missae Sacrificium* Art. 16. n. 18. Bonacina L. 1. de Eccl. Praec. C. 3. n. 1.

(2) Et recte quidem, quia, ut ait citat. P. Lucius Ferraris: « nec physice, nec moraliter est praesens » Ecclesiae, et Sacerdoti celebranti; non physice, quia « corporaliter non est in Ecclesia; nec moraliter, quia » domus sejuncta, et platea, seu via interjacens, ponunt quamcumque interruptionem, nec secundum » communem hominum extimationem, haberetur ut existens in Ecclesia.

R. Si id facit, quia ob multitudinem fidelium, in Ecclesia non capientium, nequit propius ad altare accedere, cum aliis vero unum corpus efficit, praecepto satisfacit (1); Secus vero non.

Q. *Quaenam intentio requiritur ad satisfaciendum praecepto de auditione Missae?*

R. Requiritur intentio saltem virtualis, et interpretativa (2).

Q. *Titius existens in Ecclesia audivit Sacrum ob solam devotionem, habens intentionem aliam Missam audiendi pro satisfactione praecepti; teneturne aliam Missam audire, an jam satisfecit praecepto?*

R. Dummodo non habuerit positivam et actualem intentionem, talis auditione Missae, non satis-

---

(1) Quia tunc, ait Felix Potestas loco cit. « censetur moraliter praesens, ratione conjunctionis cum » multitudine, cum qua constituit unum corpus mo- » rale fidelium Sacro praesens, et assistens ». Potiori jure dicendum est, praeceptum implere, qui Missam audiunt in Cancellis, Cubiculis, et Oratoris Ecclesiae annexis, in Choro post Altare, vel post Templi columnam, et in Sacristia habente ostium patens directe ad Ecclesiam. Cuniliati et alii communiter.

(2) Quare, si quis interest quidem sacro dum in Ecclesia celebratur, ast non intentione audiendi illud, et satisfaciendi praecepto, sed vel curiositatis satisfaciendae causa, vel ibi expectandi amicum ad concludendum cum illo negotium; vel, quod pejus est, habendi occasionem inspiciendi aliquam mulierem impudicam, et cum ea sermocinationem tenere, praecepto non satisfacit, imo peccat contra reverentiam loco Sacro, et Sacris mysteriis debitam. *Non enim*, ait S. Antoninus II. P. tit. 9 C. 10. §. 2. *debent accedere ad Missam, vel Ecclesiam ut videant, vel videantur ab amatoribus suis. Nam tales non implent praeceptum illud Ecclesiae.*

faciendi Ecclesiae praecepto, non tenetur aliam Missam audire, quia auditione illius primae Missae, licet ob devotionem, jam satisfecit. Nam praeceptum exigit actionem humanam; animus autem non satisfaciendi praecepto hac, vel illa auditione sacri, non facit quin auditio illa fuerit humana.

Q. *Si quis nesciens esse diem festum, audivit Missam ob solam devotionem, tenetur ne ad aliam Missam audiendam, si advertit esse diem Festum?*

R. Non tenetur; quia jam satisfecit ob virtualem, quam habuit intentionem satisfaciendi (1).

Q. *Quaenam attentio requiritur in auditione Missae, ut praecepto Ecclesiae satisfiat?*

R. Litigium est inter Theologos. Volunt enim aliqui sufficere solam attentionem externam; quatenus dum quis assistit Missae, non occupetur in aliqua actione externa, cum auditione Missae moraliter incompossibili, uti esset pingere, scribere, confabulari, etc. (2); Alii vero volunt attentionem tam externam, quam internam requiri, et quidem sub mortali (3).

---

(1) Ita Felix Potestas P. III. de I. Eccl. Praec. 2792. 2793. Ferraris V. Missa.

(2) Ita Diana, De Lugo, Tamburinus etc., quorum ratio videtur esse, quia Ecclesia non judicat de internis.

(3) Ita Mastrius, Bonacina, Concina, Cajetanus Potestas, et alii plures. « Et ratio est, inquit Potestas, » quia Ecclesia praecipiendo auditionem Sacri, praeci» pit auditionem humanam Religiosam, qualis non est » nec auditio Sacri, nec oratio sine ulla prorsus inten» tione, sed cum omnimoda voluntaria distractione inter» na ». Hinc merito a Clero Gallicano anno 1700. haec Propositio damnata fuit. *Satisfacit praecepto de audiendo sacro per reverentiam exteriorem, animo licet voluntarie in aliena, imo et prava cogitatione defixo.* Vid. Besombes de Praec. Eccl. Cap. 3. cons 2. Et jam Sacra Trid. Synod. Sess. 22. de observandis etc. dixerat. *Ne pa-*

Q. *Quotuplex distinguitur interna attentio in audiendo Missam?*

R. Triplex; nempe 1. ad actiones sacerdotis celebrantis; 2. ad significationem verborum, quae a Sacerdote proferuntur; et 3. ad mysteria, mentem elevando ad Deum, et ad mysteria, quae perficiuntur contemplanda.

R. *Quid de his attentionibus dicendum est?*

R. Sola prima attentio est necessaria ad satisfaciendum praecepto de auditione Missae (1); sed secunda est melior, et tertia optima.

Q. *Satisfacit ne huic praecepto, qui actu, quo celebratur Missa, confitetur peccata sua Confessario?*

R. Sententia communior inter Doctores est, quod non satisfaciat (2). Nam cum in confessione rite peragenda seria attentio requiratur, quippe quod quisque confitens teneatur confiteri peccata sua secundum speciem, numerum, et circumstantias; nec non audire Confessarii interrogationes, monita, et satisfactionem exequendam, non potest utique, actu quo confitetur, attentionem debitam ad Missam audiendam habere (3).

Q. *Satisfacit ne praecepto audiendi Missam, qui dum Missa celebratur, recitat Horas Canonicas, vel alias praeces, aut aliquid aliud facit ad Sacrum pertinens?*

---

tiantur . . . Sacrum hoc sacrificium peragi, nisi prius qui intersunt, composito decenter corporis habitu, declaraverint, se mente etiam, et devoto cordis affectu, non solum corpore, adesse.

(1) Ecclesia enim hoc praecepto, non obligat ad orationem, sed ad assistendum Sacrificio Missae.

(2) Ita communiter Doctores. Vid. S. Alphonsus de Ligorio de 3. et 4. Decalogi Prac. Dub. 3. n. 314.

(3) Excipi tamen posset casus, in quo Confessio esset ita brevis, ut non impediret attentionem requisitam in auditione Missae.

R. Affirmative, uti communiter docent Doctores (1).

Q. *Quid aliud requiritur ad satisfaciendum praecepto de auditione Missae?*

R. Requiritur integritas; hoc est ut Missa integre ab initio usque ad finem audiatur (2). Et quidem cum omni devotione mentis, et cordis; nec non cum omni compositione corporis, et modestia (3).

---

(1) Hinc praecepto audiendi Missam satisfaciunt, qui sive ex devotione, vel ex voto, vel poenitentia a confessario imposita, recitant Rosarium, vel Officium B. Mariae Virginis, vel Officium Defunctorum, aut alias praeces; quia ait laud. Potestas n. 2802 « hae orationes non impediunt praesentiam, et attentionem sufficientem ad utrumque: imo vero per utrumque, audiens est magis cum Deo, quia oratio magis reddit mentem attentam ad Deum, et impedit voluntarias divagationes ad impertinentia contigere solitas ». Praecepto pariter satisfaciunt, qui quoquomodo ministrant Sacro, atque servitium praestant in celebratione Missae, etiamsi contingat ab Altari discedere, ut quaerant in Sacristia quae necessaria sunt, veluti vinum, thus etc. Similiter satisfaciunt Musici, Tympanistae, Tubicinae, Chelystae, et qui organa pulsant, dummodo tamen simul attendant ad ea, quae in Ara geruntur. An autem satisfaciat, qui tempore, quo celebratur Missa, examen conscientiae pro Confessione instituit, probabilius videtur non satisfacere, nisi ad illud exequendum brevissimum tempus requiratur. Idipsum de eleemosynarum collectoribus est dicendum.

(2) Ita enim Ecclesiae Canones praescribunt, et Doctores unanimiter affirmant. In Concilio enim Agathense Cap. 47. ita legitur: *Missam, die Dominico saecularibus totas audire, speciali ordine praecipimus.*

(3) Hinc Missa, detecto capite, et vultu ad Altere converso audienda est, nec sedendum a principio Canonis. Ita ex Concilio Mogunt. IV. Cap. 69. et Mediol. I. P. 2. *lit. quae pertinent ad celebrat. Missarum*

Q. *Datur ne in auditione Missae parvitas materiae excusans a mortali?*

R. Omnes conveniunt dari; at quaenam sit in Missa haec materiae parvitas, inter se non conveniunt in ea definienda; Probabilius autem videtur esse ab initio Missae usque ad Epistolam exclusive, et a communione usque ad finem, ita ut si quis audit Missam ab initio usque ad communionem inclusive, vel ab Epistola inclusive usque ad finem, satisfaciat quidem praecepto, sed leviter peccet (1).

Q. *Quid dicendum de illo qui a duobus sacerdotibus successive duas Missae partes audiret: veluti unam ab initio usque ad consecrationem ab uno, et aliam a consecratione usque ad finem ab alio?*

R. Ille praecepto non satisfaceret; et oppositum est ab Innocentio XI. (2) damnatum.

Non licet assistere sacrificio Missae in habitu indecenti, atque vano, sed proprio cujusque statui competenti, et multo magis in peccato mortali, et cum actuali affectu ad peccatum. Animo recolendum est, fideles Missam audientes, una cum Sacerdote Sanctum Sacrificium atque immaculatam Hostiam offerre. Leg. Concina de 1. Eccl. Praec. Dissert. 3. Cap. V. Caveant propterea vel maxime mulieres a nimio cultu, et hornatu luxurioso. Meminerint se esse in Ecclesia ad assistendum tremendo illo, atque sanctissimo Sacrificio, quo nihil excellentius inveniri, ac cogitari potest, non vero in Theatra ad saltandum, vel cum hystrionibus, Comoediis, et Scœnicis repraesenstationibus delectandum.

(1) Vid. Dan. Concina Lib. I. de Eccl. Praec. Dissert. III. Cap. 2. n. 2. et 3. Ferraris V. Missae Sacrif. art. 16. n. 5.

(2) Iste namque Pontifex Anno 1679. sequentem proscripsit Prop. n. 52. *Satisfacit Praecepto Ecclesiae de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.* Atque hoc ipsum dicendum est de illo, qui duas medietates, aut quatuor Missae partes simul eodem tempore a diversis sa-

Q. *Quo in loco audienda est Missa, ut praeceptum adimpleatur?*

R. In quacumque Ecclesia publica, sive propria Parochia, sive aliena, sive Regularium (1). Similiter in Oratoriis, vel Sacellis erectis in Palatiis Episcoporum, aut in Conventibus Regularium; vel in parvulis illis Ecclesiis, quae januam habent publico ingressui, et communi viae expositam, aut in Cappellis a Missionariis privilegiatis, certo loco erectis (2).

Q. *A quonam sacerdote audienda est Missa?*

R. A quocumque Sacerdote Catholico, quacumque lingua, vel ritu ab Ecclesia approbato, illam

---

cerdotibus audit. Consul. Concina loco laud. n. V. q. 2. et seq.

(1) Ita ex Declar. Leonis X. 13. Novem. 1517. in Const. incip Intelleximus; et Clem. VIII. Qui anno 1592. die 22. Decembris, ita expresse statuit. *Praesenti nostro decreto sancimus, licere saecularibus Christi fidelibus universis, Missas diebus Dominicis, et Festis aliis majoribus audire in Ecclesiis tam Fratrum Praedicatorum, quam aliorum Mendicantium, nec non etiam Collegii Societatis Jesu, juxta eorum privilegia, et antiquas consuetudines, dummodo id in contemptum Parochialium Ecclesiarum non faciant.* Quare non obstante tali privilegio, idem Pontifex, ait; *Ipsis vero privilegiatis, eadem auctoritate praecipimus, ut in Concionibus, et Catechismis Populum ipsum tum ad reverentiam Parochorum, tum ad eorum Missas, praesertim Dominicis, et aliis solemnibus Festis audiendas. . . . frequenter moneant, et adhortentur.*

(2) Consul. S. P. Benedictus XIV. de Syn. *Dioeces. Lib.* 11. *C.* 14 *a n.* 7. *usque ad* 10. « Satisfaciunt etiam praecepto, ait P. L Ferraris n. 16. qui » de navi audiunt Missam, quae celebratur in littore, » sicuti et milites e suis tentoriis audientes Missam, » quae celebratur in Campo publico.

celebret, dummodo non sit depositus, aut vitandus. In tali enim casu, si nullus alius esset sacerdos idoneus, qui Missam celebraret, potius abstinendum est ab auditione Missae.

Q. *Qua hora audienda est Missa?*

R. In quacumque hora intra tempus, in quo juxta Ecclesiae praescriptum, licitum est Missam celebrare (1).

Q. *Dantur ne causae excusantes ab auditione Missae?*

R. Affirmative; Et duae praecipue sunt; scilicet impotentia physica, et impotentia moralis; quia cum Ecclesia sit pia Mater fidelium, non intendit eos obligare, ad quod physice, vel moraliter est impossibile (2).

---

(1) Curent tamen fideles, quantum fieri potest, sollicitos esse ad hoc praeceptum adimplendum, ne tardius differentes, exponendo se ad periculum, Missam non audiendi, peccent.

(2) Hinc ratione impotentiae, ab auditione Missae excusantur graviter infirmi, et qui e domo ob mala exire nequeunt; in carcere detenti, navigantes; Qui sunt ab Ecclesia longe distantes, et hinc cum gravi difficultate, ob viam difficilem, et pluviam, possunt ad Ecclesiam pergere etc. Excusantur milites custodes Urbium si suo muneri deesse non possunt, Pastores Ovium, et similes, si alios non habeant, quos ad eorum custodiam relinquant, nec possunt diversis horis, et alternis vicibus omnes Sacro interesse. Item excusantur excommunicati, et interdicti, quoties pro ipsis non stet absolutionem obtinere, alias peccant. Paucis.: Ob moralem impotentiam ab auditione Missae excusantur omnes illi, qui absque gravi incommodo vel sui, vel proximi; sive vitae, sive corporis, sive animae; sive honoris, sive boni temporalis, nequeunt Missam audire. Consul. P. Luc. Ferraris loco citato n. 6. Cuniliati, aliique. Meminerint tamen omnes, qui ex praedictis causis ab auditione Mis-

CAPUT II.

DE II. ECCLESIAE PRAECEPTO.

Nempe de Jejunio, et abstinentia a carnibus.

Q. *Quid est jejunium, et quotuplex?*

R. Jejunium generaliter loquendo, nihil est aliud, quam abstinentia ab aliquo. Est autem quatruplex; nempe 1. *Spirituale*; 2. *Naturale*; 3. *Morale*; et 4. *Ecclesiasticum*. Jejunium spirituale est abstinentia a vitiis et peccatis (1). Naturale est abstinentia ab omne id quod habet rationem cibi et potus, etiam per modum medicinae in stomachum trasmissi; et tale jejunium, ex praecepto pariter Ecclesiae, ut suo loco dicetur, a media nocte, requiritur ad sumendam Eucharistiam. Morale est abstineutia a quibusdam cibis, et potu, amore virtutis. Ecclesiasticum tandem jejunium est abstinentia a carnibus, et aliquibus cibis ab Ecclesia praescripta, et praecepta, cum unica refectione, et tempore statuto, sumenda.

Q. *Quale jejunium, hoc praecepto, ab Ecclesia injungitur?*

R. Jejunium Ecclesiasticum (2).

---

sae excusantur, quantum ex parte ipsorum est, piis ad Deum orationibus, et praecibus, defectum auditionis Missae supplere; idque non ex praecepto Ecclesiae, quae auditionem Missae exigit, sed ex praecepto naturali, quo tenemur, Deum diebus Festis colere.

(1) Et hoc est vere proprium, et salutare jejunium, Deo quammaxime acceptum. *Verum enim jejunium est*, ait S. Basilius Hom. 1. de Jejunio, *ab omnibus vitiis esse alienum*. Cui consonat Chrysost. Hom. 8. in Gen., dicens. *Jejunium dico abstinentiam a vitiis . . . . hoc verum jejunium est.*

(2) Supponit namque Ecclesia, jejunium spirituale,

Q. *Quaenam ad jejunium Ecclesiasticum requiruntur?*

R. Tria requiruntur; nempe 1. Abstinentia a quibusdam cibis; 2. Unica in die refectio; et 3. certa quaedam hora refectionem accipiendi.

Q. *Quare Ecclesia praecipit Jejunium in Quadragesima; Quatuor anni temporibus; atque aliis Sanctorum aliquorum Vigiliis; nec non usum carnium diebus Veneris, et Sabbathi prohibuit?*

R. Praecepit jejunium in Quadragesima; ut aliquo modo imitaremur exemplum Domini nostri Jesu Christi, qui jejunavit quadraginta diebus, et quadraginta noctibus (1); et ut jejuniis, et aliis sanctis operibus, rite dispositi inveniremur ad celebrandum Pascha Resurrectionis Domini nostri. Praecepit jejunium in Quatuor anni temporibus, ut palam fieret, nos, omnia anni tempora Deo consecrata habere (2). Praecepit vero jejunium in vigiliis aliquorum Sanctorum, ut praeperemus corda nostra ad rite celebrandum il-

---

ex divino praecepto, esse ab omnibus servandum, si salvi esse velint. Aliunde, non per aliud, jejunium corporale praecipit, nisi ut carnem mortificantes, et in servitutem spiritus redigentes, sobrie, pie, et juste vivamus in hoc saeculo. Et sane; *Non in sola abstinentia cibi stat nostri summa jejunii*, ait S. Leo Papa, Serm; 42. de Jej. Cap. 2., *aut fructuose corpori esca subtrahitur, nisi mens ab iniquitate revocetur.*

(1) Ita ex Concilio Senonense Cap. VII. ubi legitur: *Quas res Apostolos impulit, ut Quadragesimale jejunium sanctificarent, quo Christi fideles, non tam Moysen, aut Eliam, quam Christum imitari totius anni decimae exolverent.*

(2) Atque haec ratio affertur in Cap. *Jejunium* 1. dist. 76. ubi habetur. *Ut sicut annus per quatuor volvitur tempora, sic et nos quaternum solemne agamus jejunium per anni quatuor tempora.*

lorum festivitates, et sic eorum meritis, bona animae et corporis consequamur. Praecipit tamen ut diebus Veneris, et Sabathi a carnibus abstineamus, ut disponeamur ad rite celebrandum diem Dominicum.

Q. *A quibus cibis abstinendum est diebus Quadragesimae?*

R. A carnibus, et lacticiniis; veluti lacte, caseo, sagimine etc. (1).

Q. *In jejuniis Quatuor temporum, et Vigiliarum possunt ne comedi Lacticinia?*

R. Quoad hoc, standum est consuetudini locorum, quia de jure communi comedi possent (2). In hac vero Dioecesi Neapolitana, comedi non possunt (3).

---

(1) Ita enim praecipitur in Synodo Trullana Can. 56. et Cap. *denique*, dist. 4. his verbis. *Par autem est ut quibus diebus a carnibus animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quae sementinam carnis trahunt originem, jejunemus, a lacte videlicet, caseo*: Unde merito die 28. Martii 1616. ab Alexandro VII. damnata fuit Prop. n. 32. quae sequitur: *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, et lacticinia in Quadragesima obliget.*

(2) Quare D. Thomas, ex quo in Quadragesima prohibitus sit, non solum esus carnium, sed etiam lacticiniorum, vocat Quadragesimale jejunium solemnius aliis jejuniis, in quibus solus carnium esus prohibetur; et *circa quorum abstinentiam . . . diversae consuetudines existunt apud diversos, quas quisque observare debet, secundum morem eorum, inter quos versatur.* Ita 2. 2. q. 147. art. 8. ad 3. Vid. Ferraris V. *Jejunium*, art. 1. n. 11.

(3) Ita enim statutum legitur in Synodo Dioeces: Anni 1726. P. I. Cap. IX. n. 5. *Declaramus comedere ova, et lacticinia in dictis Vigiliis, et quatuor Temporibus esse illicitum, ac proinde praecipimus, nemini in Dioecesi nostra permittendum.*

Q. *Diebus Veneris, et Sabathi, in quibus permittuntur lacticinia, potest ne comedi laridum, et sagimen?*

R. Dissidium est, inter Theologos (1).

Q. *Quomodo obligat praeceptum servandi jejunium hujusmodi?*

R. Obligat sub gravi, quia materia est gravis (2); dummodo non sit parvitas materiae (3).

Q. *Peccat ne semper, qui pluries in die jejunii, carnes comedit?*

R. Affirmative. Quia cum praeceptum non comedendi carnes sit negativum, obligat semper ad semper (4). Dummodo tamen non sit parvitas materiae, quae juxta multos, si est octava pars unciae, excusat a mortali.

Q. *Quinam ergo cibi licite comedi possunt in Quadragesima, aliisque diebus jejunii, ab Ecclesia statutis?*

R. Licite comedi possunt pisces, et alia anima-

---

(1) Verum « Omnino videtur non recedendum a sen-
» tentia communi, ait S. Alph. de Ligorio Lib. III.
» Tractatu VI. de VIII. Praecepto, quam docent San-
» chez, Bonac. etc. Hi omnes dicunt laridum et sa-
» gimen veras esse carnes, cum vere de substantia
» carnis participent. Si vero adsit in aliquo loco di-
» versa consuetudo, hanc servandam esse, dicit Bus.
» n. 3. in fine ».

(2) Et clare constat etiam ex Prop. ab Alexandro VII. damnata n. 23. Cujus haec sunt verba; *Frangens jeiunium Ecclesiae, ad quod tenetur, non peccat moraliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere praecepto.*

(3) Vid. Concina Lib. II. de 2. Eccl. Praec. dissert. 2. C. 3. n. 3.

(4) Concina laud. ibid. n. 32. Excipi potest prima carnis comestio, si materiam levem, ut supra, non excederet.

lia, quae ad pisces reducuntur, uti sunt ranae, limaces, locustae, testudines, conchae; item anguillae, et viperae, quae anguillis aequiparantur.

Q. *Ad substantiam jejunii requiritur ne unica refectio?*

R. Affirmative. Ita communiter, ex universalis Ecclesiae statuto, ac praxi (1); quae quidem unica refectio debet esse moraliter continuata, et non interrupta (2).

Q. *Datur ne parvitas materiae in praecepto jejunii, quoad unicam comestionem?*

R. Datur; at quaenam sit haec parvitas materia, non satis determinatum est a Theologis (3).

Q. *Peccat ne, qui in die jejunii saepius aliquid comedit, ita ut perveniat ad notabilem quantitatem?*

R. Peccat, quia frangit jejunium (4).

Q. *Quot peccata committit, qui saepius in die comedit?*

---

(1) Nam, *Ecclesiae moderamine statutum est*, inquit Angelicus Doctor 2. 2. q. 147. 6. *ut semel in die a jejunantibus comedatur.*

(2) Itaque qui, peracta refectione, surgit a mensa, animo non amplius comedendi, si postea aliquid comedit, frangit jejunium.

(3) Sunt qui dicunt unam unciam esse parvitatem materiae in jejunio; alii dicunt duas uncias, et alii minus; probabilius tamen est, non debere pertingere ad duas uncias.

(4) Ita ex Prop. n. 5. ab Alexandro VII. damnata, quae sequens est. *In die jejunii, qui saepius aliquid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.*

R. Dissident inter se Doctores (1); sed communior sententia est, per secundam comestionem peccare mortaliter, quia frangit jejunium; per alias vero sequentes comestiones, peccare saltem venialiter.

Q. *Quid dicendum de refectiuncula serotina, hodie communiter in usu?*

R. Haec per tredecim circiter saecula, nunquam in Ecclesia admissa fuit; sed temporibus S. Thomae Aquinatis, et circa annum 1270, introduci caepit; atque nunc, ex tacito Ecclesiae consensu, et longaeva consuetudine, licite permittitur.

Q. *Quinam cibi, et in quanam quantitate, sumi possunt in serotina refectiuncula?*

R. Multi multa dicunt (2); sed probabilius videtur, sumi posse cibos, qui in Quadragesimali jejunio permittuntur. At in quanam quantitate, non conveniunt inter se Doctores (3).

Q. *Qua hora caenandum est diebus Quadragesimae, aliisque jejunii diebus?*

R. Olim caena, in Quadragesima, sumenda erat

---

(1) Tenent enim multi non peccare mortaliter, nisi per secundam comestionem, non vero per tertiam, aut alias subsequentes. Volunt alii multi, peccare mortaliter, quoties iterum sumit integram refectionem. Vid. P. Ferraris V. Jejunium art. I. n. 37.

(2) Vid. Concina Lib. II. de Eccl. Praec. Dissert. 2. de Jejunio n. IX. q. V. et seq.

(3) » Aliqui enim, verbis utor P. Ferraris, laud. » in loc. n. 44. concedunt solum tres uncias. Alii » quatuor. Alii sex. Alii octo. Alii rectius docent, non » posse unam generalem pro omnibus quantitatem se» cundum pondus, et mensuram determinari, sed va» riam esse posse, pro varietate personarum, et aete» tis, complexionis, occupationis; item Regionis cali» dioris, vel frigidioris etc. » Et haec quidem sententia multis magis arridet.

hora vespertina, et quidem post Vesperas in Choro recitatas (1). In aliis vero jejuniis infra annum, hora nona, quae est tertia post meridiem. Hodie vero, ex benignitate S. Matris Ecclesiae, hora sexta proxima meridiei sumi potest.

Q. *Qua hora sumenda est refectio serotina*?

R. In sero ante cubitum.

Q. *Quid si quis mane sumeret refectiunculam, sero autem caenam perfectam sumeret*?

R. Si id facit absque ulla rationabili causa, peccat, sed venialiter tantum, quia servatur substantia jejunii. Si vero id facit rationabili de causa, non peccat (2).

Q. *Quando adest dispensatio a carnibus in Quadragesima, potest ne in sero diei Dominicae comedi caro*?

R. Ex Bullis Pontificibus (3) videtur non posse. At non desunt, qui tenent posse, inter quos P. Cuniliati (4).

Q. *Licet ne in collatiuncula serotina sumere ova, caseum etc., quibus ista sunt in Cuena permissa*?

R. Absolute loquendo, non licet, quia in serotina

---

(1) Ita ex *Cap. solent* 49. *dist.* 1. *de consec.* ubi sic legitur. *Solent plures, qui jejunare putent in Quadragesima, mox ut signum audierint ad horam nonam comedere, qui nullatenus jejunare credendi sunt, si ante manducaverint, quam vespertinum celebretur officium.*

(2) Quare non solvit jejunium, neque peccati reus est, qui vel causa studiorum, vel negotiorum, vel quia statim post meridiem debet concionari, mane sumit refectiunculam, et caenam in sero.

(3) Nempe Benedicti XIV. et Clementis XIII.

(4) Tract. XII. de Praec. Eccl., mihi T. II.

refectione diebus jejunii, lacticinia prohibentur. (1) Quod si quis, ob debilitatem virium, est dispensatus, tunc ei licet.

Q. *Potio vini, Caffè, Salviae, Cocolati, limonatae, vulgo* sorbetto, *et alia electuaria frangunt ne jejunium?*

R. Quoad vinum, jejunium non frangit; quia Ecclesia, praecepto jejunii, prohibet comedere, non autem bibere (2), modo non sit lac, jusculum ex carne, etc., quorum potiones, non ad cibi vehiculum inserviunt, sed ad corpus substentandum, vel nutriendum. Quoad Caffè, Tè, et salviae potionem, permulti non dubitant, ad libitum, permittere. Quoad electuaria, modo in fraudem, in magna quantitate non assumantur per modum cibi, ex Angelico Doctore (3), jejunium non frangunt. Quoad cocolatem vero, non una est Doctorum sententia (4). Communiter tamen doce-

---

(1) Id constat ex Encyclica *Libentissime* Benedicti XIV, in qua dicitur; *Dispensatos ad edendas carnes, vel ad lacticinia, opus habere eo cibo, eaque potione, quibus utuntur omnes jejunantes rectae, et meticulosae conscientiae.* Porro personae huiusmodi, ova et lacticinia in serotina collatiuncula non comedunt.

(2) Ita Angelicus Doctor q. 147. a. b. ad 2. Ex quo autem vini potus in jejuniis non probibeatur, non potest quis licite vino abuti se inebriando, aut in fraudem jejunii, vini qualitate, et quantitate, supplere defectum plurium refectionum. Hoc enim esset contra finem Ecclesiae, quae jejunium praescripsit, ut a carnalibus voluptatibus abstineamus, et membra nostra castigaremus in delictorum nostrorum expiationem, et ad Dei misericordiam implorandam.

(3) 2. 2. q. 47. a. h. ad 3.

(4) Quidam enim absolute concedunt licere; adduntque hanc esse consuetudinem communiter receptam. Quidam absolute negant, cum cocolates, etsi veluti potus sumatur, multum corpus sustentat. Alii mediam

tur, quod si accipiatur per modum medicinae, jejunium non frangit.

Q. *Dantur ne causae excusantes a jejunio?*

R. Affirmative, et sunt sequentes; nempe 1. *Aetas* (1); 2. *Impotentia* (2); 3. *Labor* (3); 4.

---

viam tenentes, dicunt quidem licere, dummodo tamen ejus quantitas cum saccaro, duas uncias non excedat. Vid. Ferraris laud. art. 1. n. 41. et seq. Sed fusius Concina lib. 2. de Eccl. Praec. Dissert. 2. Cap. 9. et seq. hanc materiam discutit.

(1) Causa aetatis excusantur a jejunio, quoad unicam comestionem, qui annum 21. non expleverint; et ante septennium excusantur etiam ab abstinentia a carnibus. Item excusantur senes, qui ob debilitatem virium indigent saepius refici cibo; non excusantur tamen ab esu carnium. In quanam vero aetate senes excusentur, nequit certo definiri, quidquid communiter dicatur de aetate 60. annorum. Standum propterea, timoratorum, et prudentum judicio, attentis circumstantiis, et viribus senis.

(2) Causa impotentiae excusantur infirmi, qui carnibus vesci, et saepius indigent, Medicorum judicio. Item excusantur Mulieres pregnantes, lactantes, quae tamen ordinarie, nonnisi ab unica comestione excusantur, non vero ab esu carnium; item pauperes, et mendici ostiatim mendicantes, et quicumque non habent, quo semel sufficienter reficiantur.

(3) Causa laboris excusantur omnes exercentes artes laboriosas; veluti Agricolae, Fossores, Caementarii Navigeri, Fabri ferrari, Lignarii, Argentarii, Æncarii, Stannearii, Lapicidae, Pistores, opere textorio fabricantes pannos, telas, etc. Non excusantur vero Pictores, Sartores, Acupigentes, Mercatores, Barbitonsores, et hujusmodi. Item non excusantur Notarii, Scribae, et alii Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, uti patet ex sequenti Propositione ab Alexandro VII. damnata: *Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii: nec debent se certificare, an labor sit incompossibilis cum jejunio.*

Pietas (1); et 5. *Dispensatio.*

Q. *Excusantur ne a jejunio, qui equo, vel curru iter agunt?*

R. Si id sine extraordinaria defatigatione exequi nequeunt, et sine gravi incommodo, excusantur; secus vero non (2).

Q. *Quinam possunt in lege jejunii dispensare?*

R. 1. Summus Pontifex pro universa Ecclesia; 2. Episcopus cum suis Dioecesanis; 3. Parochus quoque saltem ex consuetudine; 4. tandem Superiores Regularium.

Q. *Dispensatus ad carnes potest ne comedere in eadem mensa carnes, et pisces?*

R. Negative (3).

Q. *Dispensatus ad carnes est ne dispensatus ab unica comestione?*

R. Si est dispensatus, quia cibi esuriales sunt illi nocivi, caeteroquin est persona robusta, quae ferre potest jejunium, et tunc ad unicam comestionem tenetur. Si vero est dispensatus ob debilitatem virium, ut sunt infirmi, et convalescentes, et tunc est dispensatus (4).

---

(1) Causa Pietatis excusantur Concionatores Quadragesimales, qui omnibus diebus habere debent Conciones ad Populum, Lectores, et Ludimagistri, in diebus, quibus in lectionibus occupantur; Confessarii, debiliores complexione, ut suo moneri, praesertim in Missionibus, satisfaciant; Tandem Cantores, qui ex officio canendi vivunt, et jejunando inabiles redderentur. Ita Auctores communiter.

(2) Unde merito Alexander VII. hanc proscripsit propositionem: *Excusantur absolute a praecepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiunt.*

(3) Ita enim declaratum est a Bened. XIV. uti ex ejus Bullis. *Non ambigimus*; et *Libentissime.*

(4) Ita laud. Pontifex in Bulla *Libentissime.*

Q. *Dispensatus ad carnes potest ne in serotina collatione carnibus uti?*

R. Si est dispensatus ob infirmitatem, et debilitatem virium, et integre a jejunio, hoc est tam quoad cibi qualitatem, quam quoad quantitatem dispensatus, potest; si vero alia de causa, et tunc non potest.

Q. *Collatio serotina potest ne aliquando sumi duplex solito?*

R. Affirm. scilicet in sero Vigiliae Nativitatis, et Sabathi Sancti (1); ubi tamen adest consuetudo introducta, et tolerata.

CAPUT III.

De III. et IV. Ecclesiae Praecepto.

Scilicet confiteri saltem in Anno, et Eucharistiam sumere in Paschate Resurrectionis.

Q. *Quid hoc praecepto ab Ecclesia imponitur?*

R. Imponitur ut omnes baptizati, etiamsi sint Haeretici, Apostatae, Schismatici, semel saltem in anno, postquam ad annum discretionis pervenerint, suorum peccatorum, proprio sacerdoti, confessionem faciant (2).

---

(1) Vid. Felix Potestas De II. Eccl. Prae. num. 2887.

(2) Id clare constat ex Canone 22. Concilii Latenensis IV. sub Innocentio III. celebrati Anno 1215. ut *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno proprio sacerdoti, et injunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere; suscipiens ad minus in Pascha Eucharistiae Sacramentum: nisi forte de consilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus, ab ejus perceptione duxerit abstinendum.*

Q. *Quis est dicendus pervenisse ad annos discretionis?*

R. Omnis, et solus ille, qui est capax peccati mortalis. Quando autem quis poterit esse capax peccati mortalis, non judicandum est ex aetate solum, sed ex ingenii gradu, educatione, discretione boni, et mali; sunt namque aliqui ita ingenio praeclari, ut in aetate sex annorum, magnam ostendant discretionem; et sunt alii, e contra, qui in aetate octo, vel novem annorum, et vix discernere valent inter bonum, et malum (1).

Q. *Quo pacto computandus est annus, intra cujus spatium, obligat praeceptum semel confitendi?*

R. Computandus est, uti solet, a prima nempe die Mensis Januarii inclusive, usque ad diem ultimam Mensis Decembris inclusive. Ita Doctores communiter. Esto non desint, qui dicant computandum esse ab uno Pascha ad aliud.

Q. *Satisfacit ne praecepto de annua confessione, qui non confitetur Parocho, sed alio Sacerdoti sive saeculari, sive Regulari?*

R. Satisfacit, dummodo tamen confessio facta fuerit Sacerdoti sive saeculari, sive Regulari ab Episcopo approbato (2).

Q. *Qui habet sola venialia, tenetur ne confiteri, ut adimpleat praeceptum annuae confessionis?*

R. Sunt, qui dicunt, non teneri; volunt tamen,

---

(1) Et propterea vigilare tenentur genitores, verbis utor Cuniliati Tractat. XII. de Praec. Eccl. Cap. 2. §. 2. n. 1. » ut filios opportune in ordine ad confessio-» nem instruant, et ducant; nec deesse debet confes-» sarii solertia, ut exploret an adsit usus rationis, an » peccatum de se gravem invenerit, et an absolvere de-» beat.

(2) Ex Const. Clementis VIII. anno 1592. et Innocentii X. An. 1641. quae incip. *Exponi Nobis*.

ut qui venialia tantum peccata habent, ut Ecclesiae praeceptum impleant, se Sacerdoti repraesentent, et se ostendant absque conscientia mortalis esse, et hoc eis pro confessione reputabitur. Verum tutior sentententia est, quod teneantur (1).

Q. *Satisfacit ne Ecclesiae praecepto, qui voluntarie facit confessionem invalidam, et sacrilegam?*

R. Negative; et oppositum est damnatum (2).

Q. *Quo maxime tempore, infra annum, adimplendum est hoc praeceptum?*

R. Esto ab Ecclesia statutum praecise non sit, quonam tempore quis confiteri teneatur peccata sua ut huic praacepto satisfaciat, dicendum tamen est, tale tempus magis idoneum esse in Quadragesima. Immo hodie praxis est, quod confessio fiat, durante tempore Paschali: et quidem opportune nimis, cum Eucharistia sumi debeat, magna cum puritate conscientiae, et fervore devotionis (3).

---

(1) Hanc quoque docet D. Bonaventura in IV. dist. 17. art. 7. q. 1., dicens: *Propter Ecclesiasticum statutum tenetur, quia omnis fidelis, semel in anno tenetur confiteri, et ideo si non habet nisi venialia, saltem illa semel in anno tenetur confiteri, sed hoc non propter venialis peccati morbum, sed propter praeceptum.* Sicuti, et S. Thomas eadem dist. q. 3. art. 1. q. 3. ad 3. his verbis: *Ex vi Sacramenti non tenetur aliquis venialia confiteri, sed ex institutione Ecclesiae, quando non habet alia, quae confiteatur.*

(2) Ita patet ex propositione 14. ab Alexandro VII. proscripta, quae ita se habet: *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto Ecclesiae.* Et re quidem vera, qui talem facit confessionem, manifeste adversatur fini S. Matris Ecclesiae, quae Confessionem praecepit, ut homo a peccatis liberaretur, non jam, ut nova causa ad multiplicanda peccata daretur.

(3) Idque satis constat ex Concilio Trid. Sess. XIV.

Q. *Tenetur ne anticipare Confessionem, qui in principio anni praevidet, se in toto anni tempore, non posse confiteri?*

R. Tenetur, si habet mortalia; quia obligationem contraxit, quam ex praecepto implere tenetur.

Q. *Si quis integro anno confessionem omisit, tenetur ne confiteri sequenti anno, statim ac possit?*

R. Maxime. Nam tempus confitendi, non est ab Ecclesia praescriptum ad finiendam, sed ad sollicitandam obligationem.

Q. *Dantur ne causae, ab hujus praecepti executione, excusantes?*

R. Dantur, et quidem inter multas, duae praesertim; nempe 1. *impotentia physica*; hoc est quando adhibita omni diligentia, Confessarius haberi non potest; 2. *Impotentia moralis*; scilicet aliquod grave incommodum, quod ab extrinseco, praeter institutionem Sacramenti, prudenter timetur; uti si quis vereatur confiteri sacerdoti, qui praesto esset, ob rationabilem timorem, quod revelet peccatum suum. Verum hoc in casu potest dimidiare confessionem, et confiteri sola peccata, de quibus revelationem non timet.

Q. *In quam poenam incidit, qui praecepto annuae Confessionis non satisfacit?*

R. Ex Concilio Lateranensi IV (1); incidit in

Cap. 6. ubi legitur: *Jam in universa Ecclesia cum ingenti animarum fructu observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo, et maxime acceptabili tempore Quadragesimae, quem morem haec Sancta Synodus maxime probat, et amplectitur tamquam pium, et merito retinendum.*

(1) Can. 22. ubi postquam praeceptum de annua confessione expressum est, adjungitur: *Alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur; et moriens Christiani careat sepultura.*

interdictum ab ingressu Ecclesiae, et moriens privatur sepultura Ecclesiastica.

Q. *Quinam tenentur ad Eucharistiae receptionem in Paschate Resurrectionis, vi praecepti Ecclesiae?*

R. Tenentur omnes baptizati utriusque sexus, ab anno quo sufficientem cognitionem hujus Sacramenti habere possunt (1), videlicet intra spatium septennii usque ad annum quartumdecimum, prout quisque instructus sufficienter apparet, et idoneus ad illud suscipiendum (2).

Q. *Quonam tempore recipienda est Eucharistia?*

R. In Paschate Resurrectionis (3); hoc est durante tempore Paschali, quod ex Bulla Eugenii IV. quae incipit *fide digna*; nec non ex usu Ecclesiae, comprehendit totam quintenam Paschalem a Dominica Olivarum usque ad Dominicam in Albis inclusive; nisi adsit aliquod privilegium, necessitas, vel consuetudo plus temporis concedendi. Sicuti in hac Civitate, et Dioecesi Neapolitana, ex privilegio, longissimum tempus conceditur, ad Comunionem recipiendam: a Dominica nempe Palmarum usque ad Festum SS. Trinitatis inclusive.

---

(1) Unde Conc. Trid. Sess. XIII. Can. 9. ait. *Si quis negaverit, omnes, et singulos Christi fideles, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri, singulis annis, saltem in Paschate ad communicandum juxta praeceptum Sanctae matris Ecclesiae; anathema sit.*

(2) Curandum est tamen a Parentibus, et Parochis, ne diu differatur a septennio, pueris communio. Reminiscantur quod ait Dominus: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis . . . . non habebitis vitam in vobis.* Hinc P. Concina non dubitat asserere, peccati mortalis reos esse Parentes, et Confessarios: « Si ob negligen- » tiam, et defectum sollicitudinis in puerorum instru- » ctione, in causa forent, ne dicti pueri, alioqui ca- » paces, praecepto Paschalis communionis satisfacerent » Lib. IV. de Eccl. Praec. diss. 2. C. 1. n. 10.

(3) Ex Concilio Lateranensi IV. supra laudato.

Q. *Qui sacrilege Eucharistiam sumit, satisfacit ne Ecclesiae praecepto?*

R. Minime. Ecclesia enim praecipiendo sumtionem cibi Eucharistici, vult Christo nos incorporari, atque vitam cum Christo habere. Jam vero qui sacrilege sumit Eucharistiam, non vitam, sed mortem sibi (1) comparat.

Q. *Ut praecepto annuae communionis in Paschate satisfiat, in quanam Ecclesia sumenda est Eucharistia?*

R. In propria Parochia, et quidem de manu Parochi, vel ejus delegati (2); Idque rite, et rationabiliter, ut Pastor vultus ovium suarum cognoscat (3).

Q. *Quid dicendum de vagis, et peregrinis?*

---

(1) Apostolus namque ad Haebreos scribens Cap. XI. v. 28. ait: *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat; qui enim manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat, et bibit non diudicans corpus Domini.* Hinc jure proscripta fuit ab Innocentio XI. sequens propositio n. 55. *Praecepto Communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini manducationem.*

(2) Ita communiter; et eruitur ex citat. cap. *Omnes utriusque sexus*: nec non constat ex pluribus declarationibus S. Cong. Concilii. Hinc Praecepto Paschali non satisfaciunt, qui in alia Ecclesia, etiam Regularium, Eucharistiam sumunt, nisi tamen ad id licentiam a Parocho proprio, vel ab Episcopo, si communio fiat in Cathedrali, quae non sit propria Parochia; obtinuerint; uti ex Benedicto XIV. in notif. 18. n. 9. q. 2. et uti fit Neapoli, ubi fideles per communionem factam in Ecclesia Cathedrali, satisfaciunt praecepto Paschali.

(3) Id autem de fidelibus laicis intelligendum est; nam Sacerdotes, tempore Peschali, ubicumque celebrant, praecepto communionis satisfaciunt. Quod si non celebrando, sed laicorum more Eucharistiam sumunt, non satisfaciunt.

R. Quoad vagos, cum ipsi nullum habeant certum, atque fixum domicilium, tenentur communionem sumere in ea Parochia, in qua tempore Paschali morantur. Idipsum de peregrinis dicendum est; quia cum non possint ad proprias Parochias redire, ut ibi communicent, habentur veluti incolae illius loci, in quo inveniuntur, et consequenter ibi praecepto satisfacere possunt.

Q. *Possunt ne famuli, et domestici Regularium, cum ipsis commorantes de familia, praecepto Communionis Paschalis satisfacere in ipsorum Ecclesiis?*

R. Affirmative (1).

Q. *Si quis praevidet, se tempore Paschali fore impeditum a facienda communione in propria Parochia, tenetur ne anticipare?*

R. Tenetur, ut sic praecepto satisfaciat, modo quo fieri potest. Similiter, si tempore Paschali legitime impeditus, non satisfecit, elapso tali tempore adhuc tenetur, quam primum communicare. Tempus enim Paschale non est praescriptum ad finiendam obligationem, sed tantum ad illam sollicitandam (2).

Q. *In quam poenam incidunt, qui in Paschate communionem non accipiunt?*

R. Jure communi, viventes incidunt in poenam interdicti ab ingressu Ecclesiae, et post mortem privationis sepulturae Ecclesiasticae (3); quae poenae

---

(1) Ita ex Constitutione Julii II. quae incipit: *Dum in Sacrum*, apud P. Lantusca V. *Eucharistia* num. 6.

(2) Vid. Concina Lib. IV. de Eccl. Praec. Diss. 2. cap. 2. n. 4. 8.

(3) Uti ex laudato Cap. *Omnes utriusque sexus.*

sunt ferendae sententiae; jure vero Neapolitano, hae poenae sunt latae sententiae, earumque absolutio est Episcopo reservata (1).

CAPUT IV.

De V. et VI. Ecclesiae Praecepto.

Scilicet de Nuptiarum celebratione tempore vetito; et de Decimis solvendis.

Q. *Quibus temporibus vetitum est Nuptias celebrare?*

R. Duobus temporibus; 1. nempe a prima Dominica Adventus inclusive, usque ad festum Epiphaniae inclusive. 2. A die prima Cinerum inclusive, usque ad Dominicam in Albis inclusive (2).

Q. *Quaenam Nuptiae celebrari prohibentur?*

R. Nuptiae solemnes, quae scilicet celebrari solent cum solemnitate, puta benedictione sponsi, et sponsae; inter Missarum solemnia; solemni traductione sponsae in domum sponsi; prandiis lautionibus, Choreis, aliisque similibus. Quoad privatam vero Nuptiarum celebrationem, nulli dubium, licere; attamen in praxi, standum est consuetudini locorum (3).

---

(1) Ita namque se habet Casus VII. inter reservatos sine excommunicatione; *Omnes utriusque sexus; qui a Dominica Palmarum etc. Paschalis communionis praecepto in Cathedrali, vel propria Parochia non satisfacerint, interdicti poenam etc. . . ipso facto incurrunt n Nobis, sive facultatem a reservatis absolvendi a Nobis, vel Vicario Nostro Generali habentibus, tantummodo relaxandam, dummodo non fuerint nominatim denunciati.*

(2) Ita ex Concilio Tridentino Sess. XXIV. Cap. 10. *de Reform.*

(3) Vid. P. Ferraris V. *Nuptiae* n. 15.

Q. *Quare Ecclesia dictis temporibus Nuptias celebrare prohibuit?*

R. Non sine validis rationibus. Cum namque his praesertim temporibus, maxime deceat, fideles toto conatu orationibus, obsecrationibus, mortificationi, et virtutibus exercendis incumbere, in Adventu ut se disponant ad celebranda Mysteria Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, et in Quadragesima ut se praeparent ad Pascha Resurrectionis celebrandum; cumque solemnitas Nuptiarum ab hoc non parum avertat, merito Ecclesia talem Nuptiarum celebrationem prohibuit (1).

Q. *Quid sunt Decimae, quas ex Praecepto Ecclesiae, fideles tenentur solvere?*

R. Decimae sunt decima pars omnium fructuum, et proventuum juste acquisitorum, Deo, in recognitionem universalis, supremique dominii, atque Ecclesiae Ministris solvenda.

Q. *Quo tempore decimae ortum habuere?*

R. Tempore Veteris Testamenti (2). Quo au-

---

(1) In dictis enim temporibus praecipue urget, quod Apostolus ad Romanos scribens, Cap. 13. v. 11. ait. *Sicut in die honeste ambulemus: non in commessationibus, et aebrietatibus; non in cubilibus et impudicitiis . . . . sed induimini Dominum Jesum Christum et carnis curam ne feceritis in desideriis.* Unde Tridentina Synodus anathemate percussit omnes asserentes, Nuptiarum celebrationem illis diebus non rite ab Ecclesia fuisse factam. Ita Sess. XIV. doctrina de Sacram. Matrim. Canone II. dicens: *Si quis dixerit prohibitionem Nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam ab Ethnicorum superstitione profectam . . . . anathema sit.*

(2) Ita ex Genesi Cap. 14. 28. Exodi 22. Levit. 27. Num. 28.

tem tempore in Ecclesia ortum habuerint, incertum est (1).

Q. *Congruum ne fuit ab Ecclesia praeceptum solutionis decimarum fidelibus imponi?*

R. Affirmative. Nam 1. per decimarum solutionem cognoscimus Deum tamquam bonorum omnium dominum supremum, et liberalem donatorem (2); 2. de sustentatione debita Sacros Ministros providemus (3); 3. pauperes sublevamus (4). Quae omnia quanti sint facienda, nemo non videt.

Q. *De quibus facienda est Decimarum solutio?*

R. Facienda est ex fructibus omnium rerum,

---

(1) » Loquor de Ecclesia Latina, *verba sunt P. Ferraris. V. Decimae* art 1. n. 43. nam in Ecclesia » Graeca Decimae numquam ex necessitate solum fue- » runt. In Ecclesia autem Latina antiquis, Concilium, » quod injunxit solutionem decimarum, videtur Con- » cilium Turonense II. An. 567. At Concilium Ma- » tisconense II. An. 585. videtur innuere, decimarum » solutionem, jam ante mox dictum Concilium 567. » demandatam fuisse.

(2) Etenim *Decimae*; uti ex Cap. *Tua nobis* 26. de decimis, *quas Deus in signum universalis dominii sibi reddi praecepit suas esse decimas reservans.*

(3) Ita ex Cap. *Cum secundum* 16. de praebendis. Ubi legitur. *Cum secundum Apostolum, qui Altari servit, vivere debeat de Altari, et qui ad onus eligitur repelli non debeat a mercede, patet a simili, ut Clerici vivere debeant de patrimonio Jesu Christi, cujus obsequio deputantur.*

(4) Hinc *Decimae* Ex Cap. *Decimae* 66. causa 16. q. 1., *tributa sunt egentium animarum.* Et ita quidem, ut si quis Minister Ecclesiae necessariam habens sustentationem, de ipsis pauperes non aluerit, ut et illi fame mortui fuerint, S. Augustini judicio, *tantorum homicidiorum reus ante tribunal aeterni Judicis apparebit, quia rem a Deo pauperibus delegatam suis usibus reservavit.*

juxta locorum consuetudinem, quae eadem non est in omnibus.

Q. *Qualiter peccat, qui decimas non solvunt?*

R. Peccant graviter; et quidem contra justitiam, et contra Religionem. Contra justitiam, quia decimae, sacris Ecclesiae ministris debentur propter servitia, quae Altari praestant, et propter quae, eis debetur substentatio; atque hinc ex justitia commutativa. Contra Religionem vero propter irreverentiam, quae fit Deo, qui decimarum solutionem praecepit, in recognitionem sui supremi dominii.

Q. *Incidunt ne in aliquam poenam, qui decimas subtrahunt, aut impediunt?*

R. Ex Concilio Tridentino (1). *Qui decimas aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicantur; nec de hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absolvantur.*

Q. *Peccant ne qui decimas non solvunt in loco, ubi non adest communis consuetudo eas solvendi?*

R. Cum D. Thoma. *In Terris, in quibus non est consuetudo communis, quod decimae dentur, et Ecclesia, nempe Romana, non petit, videtur Ecclesia remittere, dum dissimulat; et propterea, eos, qui propter desuetudinem non solvunt decimas, non esse in statu peccati* (2).

---

(1) Sess. 22. Cap. 12. de *Reform.*

(2) De Decimis plura hic non prosequimur, cum varia sint super ipsarum solutionem, locorum consuetudines. Qui autem plura legere cupit, adeat Auctores, qui de illis fusius agunt. Inter quos P. Concina Lib. III. de 3. Eccl. Praec. Continuat. Tournely de 6. Eccl. Praec. P. Luc. Ferraris V. *Decimae* P., Anacletus Reinfestuel etc.

TRACTATUS III.

De Ecclesiae Sacramentis in genere.

Inter alia, quae summam in Genus Humanum Christi Domini misericordiam, benignitatem, et Charitatem ostendunt, non infimum locum dicenda est tenere Sacramentorum institutio ab ipso in mortalibus suis diebus facta, et Ecclesiae, usque ad Saeculi consumationem ad exequendum proposita. Cum namque, non solum ut Redemptor animarum nostrarum, a servitute Diaboli, et peccati ipse in Terris apparuit, sed etiam ut Medicus sapientissimus, ut nos ab infirmitatibus per primam culpam contractis, curaret, atque remediis nos provideret, quibus a peccatis, et malis futuris praeservaremur, non solum suo sanguine Divinae justitiae satisfecit, sed et virtutibus suis, et exemplo contra vitia nos communivit, atque insuper Sacramenta instituit, quae omnium nostrorum spiritualium malorum medicina efficax forent. Quis Domini misericordias non extollet, et laetus continuo non cantabit? De hoc ergo tam praecellenti beneficio Christi Domini nobis concesso, jam alibi (1), quoad ea, quae ad Theologiam Scholasticam dogmaticam pertinent, sufficienter loquuti sumus; Unde in praesenti Tractatu, tantum quae de Sacramentis scienda sunt, Tyroni Theologiae Moralis, exponemus, atque explicabimus. Sit propterea

---

(1) In Tomo VI. Sacrae Theologiae Synopis etc.

CAPUT I.

De Natura Sacramentorum novae legis.

Q. *Quid est Sacramentum?*

R. *Sacramentum*, ex Catechismo, Concilii Tridentini jussu edito (1), *est res sensibus subjecta, quae ex Dei institutione, sanctitatis, et justitiae tum significandae, tum efficiendae vim habet.*

Q. *Quot sunt Novae Legis Sacramenta, et a quo omnia fuerunt instituta?*

R. Sacramenta Novae Legis sunt septem: nempe Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, Extrema Unctio, Ordo, et Matrimonium; et omnia singula fuerunt a Christo Domino instituta (2).

Q. *Quomodo Sacramenta Novae Legis differunt a Sacramentis Veteris Legis?*

R. Quia Sacramenta Veteris Legis figurabant solum gratiam, dandam per Christi Passionem et Mortem; Novae Legis vero Sacramenta, gratiam conti-

---

(1) Cui correspondet definitio a Praeceptore Subtili tradita in IV. Sent. dist. 1. q. 2. n. 9. scilicet: *Sacramentum est signum sensibile, gratiam Dei, vel effectum ejus gratuitum ex institutione divina efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis viatoris.*

(2) Ita definitum est de fide in Concilio Florentino, in Decreto Eugenii IV. pro instructione Armaenorum; et in Concilio Tridentino Sess. VII. can. 1. his verbis: *Si quis dixerit, Sacramenta Novae Legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino Nostro instituta, aut esse plura, aut pauciora, quam septem; videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem, non esse vere, et proprie Sacramentum, anathema sit.*

nent, et eam digne sumentibus conferunt (1).

Q. *Est ne aliqua differentia inter ipsa Novae Legis Sacramenta?*

R. Affirmative (2). Nam 1. aliqua inter ipsa, veluti Baptismus, et Poenitentia, conferunt per se primam gratiam justificantem, seu remissionem peccati mortalis, sive originalis, ut Baptismus, sive actualis, ut Poenitentia; Unde et Sacramenta *Mortuorum* appellantur. Reliqua vero, per se conferunt tantum gratiam secundam, quippe primam gratiam in suscipiente supponunt; unde et Sacramenta *vivorum* dicuntur. II. Tria ex his Sacramentis; nempe Baptismus, Confirmatio, et Ordo, quia imprimunt in anima indelebilem Characterem, interari non possunt. Caetera vero non item (3). III. Aliqua Sacramenta sunt *Formata*, et quaedam *Informia*; IV. Aliqua *Permanentia*, et alia *Transeuntia*; V. Aliqua *omnibus necessaria; et alia non omnibus necessaria* (4).

Q. *Quaenam Novae Legis Sacramenta sunt omnibus, et singulis fidelibus, aeque necessaria, quaenam vero non?*

---

(1) Ita ex Concil. Florentino Sess. ult. in Decreto Eugenii IV.

(2) Unde Tridentina Synodus Sess. VII. Can. 3. statuit dicens: *Si quis dixerit, haec Sacramenta, ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit.*

(3) Ita de Fide, uti patet ex citato Conc. Florentino, et Triden. Sess. VII. Can. 9. ubi ita legitur: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, et Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, et indelebile, unde ea iterari non possint, anathema sit.*

(4) Vid. Luc. Ferr. V. Sacramentum Art. 1. n. 7. et seq.

R. Sacramenta Baptismi, et Poenitentiae, sive in re, sive in voto, sunt necessaria necessitate tum medii, tum praecepti; Baptismus quidem omnibus hominibus (1); Poenitentia vero omnibus hominibus post susceptum Baptisma, in peccatum mortale lapsis (2). Confirmatio, Eucharistia, et Extrema Unctio sunt omnibus necessaria, tantum necessitate praecepti (3); et Ordo cum Matrimonio sunt quidem necessaria necessitate praecepti, sed non omnibus hominibus.

---

(1) Ait enim Christus Dominus Joan. III. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.*

(2) Apud S. Lucam C. XIII. ita loquitur Jesus Christus: *Nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.*

(3) Et quidem quoad Confirmationem, ita statutum legitur in Concilio Laodicense Can. 48.: *Oportet eos, qui illuminatur, post Baptisma inungi super coelesti chrismate.* Unde S. Petrus Damianus Serm I. in dedic. Eccl. inquit. *Decretales paginae, et SS. Patrum instituta decernunt, non esse differendum post Baptismum Sacramenti hujus virtutem, ne nos inermes inveniat fraudulentus ille contortor.* Quoad Eucharistiam, clara sunt Christi Domini verba apud S. Joan. Cap. VI. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis non habebitis vitam in vobis.* Quoad vero Extremam Unctionem, ita loquitur S. Jacobus Apostolus Cap. V. v. 14. et 15. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Praesbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei.*

CAPUT II.

De Materia, et Forma Sacramentorum.

Q. *Quomodo Sacramenta perficiuntur?*

R. *Omnia Sacramenta*, uti statutum est in Concilio Florentino (1), *tribus perficiuntur, videlicet rebus, tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona Ministri conficientis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum.*

Q. *Quis materiam, et formam Sacramentorum instituit?*

R. Omnes, cum materiae, cum formae fuerunt a Christo domino institutae, et determinatae quoad substantiam; At non omnes et singulae uniformiter, et aequaliter in particulari, et in specie (2).

Q. *Quid est Sacramenti materia?*

R. Est res illa sensibilis, quae per externam Ministri actionem applicatur suscipienti Sacramentum. Ita est aqua in Sacramento Baptismi, oleum in Confirmatione, et Extrema unctione, panis in Sacramento Eucharistiae etc.

Q. *Quotuplex est Sacramentorum materia?*

R. Duplex est; scilicet *remota*, et *proxima*. Materia remota est illa mox tradita; proxima vero

---

(1) Sess. ultima in Decreto Eugenii IV. §. *Quinto Ecclesiasticorum.*

(2) Consul. Luc. Ferraris V. *Sacram. Art.* 1. 27. Quare Trident. Synod. Sess. XXI. Cap. 2. *Praeterea declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quae suscipientibus utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, et locorum varietate magis expedire judicaret.*

est ipsamet applicatio dictae materiae remotae; uti est ablutio in Baptismo, unctio in Confirmatione.

Q. *Quid est forma Sacramentorum?*

R. Forma Sacramentorum sunt certa verba una cum applicatione materiae proferenda a Ministro.

Q. *Si Minister mutat materiam, vel formam, conficit ne Sacramentum?*

R. Si mutat essentialiter, itaut nec materia, nec forma sint eaedem ac illae a Christo Domino institutae, non conficit Sacramentum. Si vero mutat accidentaliter tantum; hoc est adhibet quidem materiam, vel formam a Jesu Christo praescriptam, sed non eo modo, quo ab Ecclesia praecipitur adhibenda, et tunc conficit Sacramentum.

Q. *Quomodo peccat, qui facit mutationem sive in materia, sive in forma in administratione Sacramenti?*

R. Si mutatio est substantialis, per se loquendo, graviter peccat. Si vero est tantum accidentalis; et videndum; si talis mutatio est notabilis, adhuc mortaliter peccat; si vero non est notabilis, et tunc venialiter peccat.

Q. *Qualiter peccat, qui extra casum necessitatis, Sacramentum conficit in materia, vel forma dubia, aut probabili?*

R. Mortaliter peccat; quia exponit Sacramentum periculo nullitatis; Et quidem 1. contra Religionem quia non servat reverentiam Sacramento debitam; 2. contra charitatem, quia absque causa exponit proximum periculo carendi gratia sacramentali, qua indiget, cum possit illi talem gratiam certo conferre; 3. tandem contra justitiam, si ex officio tenetur Sacramenta administrare; vel ad ea administranda se ingerit (1).

---

(1) Quare merito oppositum fuit ab Innocentio XI. damnatum Anno 1689., uti alibi notavimus.

Q. *Quid si adsit vera necessitas?*

R. In tali casu licet; quia in bonum proximi, melius est adhibere aliquid, quam nihil (1).

Q. *Ad valorem Sacramentorum requiritur ne coexistentia, seu simultas materiae, et formae?*

R. 1. Simultas hic duplex distingui potest; nempe *physica*, et *moralis*. Simultas physica habetur, cum materia simul, ac toto tempore, quo profertur forma, continuetur; uti in Baptismo eodem tempore, quo fit aquae ablutio, simul et semel profertur forma; moralis vero, quando simultas est talis, ut secundum moralem hominum extimationem, spectata natura cujuslibet Sacramenti, una pars alteram afficiat.

R. 2. Sufficit coexistentia, seu simultas moralis materiae et formae (2); quae tamen non est eadem in omnibus Sacramentis (3).

---

(1) Vid. P. 1. hujus pag. 65.

(2) Ita Praeceptor Subtilis in IV. dist. 6. q. 3 ubi ait: « Quod inter materiam, et formam Sacra» mentorum talis simultas requiratur, qualis requi» ritur in actibus humanis; noluit enim Christus nos » obligare ad tam subtilem simultatem, quam vix posset » homo perficere, vel servare » Vid. Ferraris V. *Sacramentum* art. 1. n. 25. 26. Anacletus etc.

(3) Nam major coexistentia requiritur in Eucharistia; major quoque in Baptismo, Confirmatione, Extrema Unctione, ac Ordine, quam in Poenitentia, et Matrimonio.

CAPUT III.

De Sacramentorum Ministro, atque Subjecto.

Q. *Quisnam est legitimus Sacramentorum Minister?*

R. Ex Lege Dei ordinaria (1), solus homo viator est legitimus Sacramentorum Minister (2).

Q. *Omnes homines Christiani sunt ne omnium Sacramentorum Ministri?*

R. Negative, et oppositum est a Concilio Tridentino damnatum (3).

Q. *Quid requiritur in Ministro ut conficiat Sacramenta?*

R. Requiritur intentio saltem faciendi quod facit Ecclesia (4).

Q. *Quid est proprie intentio, et quotuplex?*

R. Intentio est actus liber voluntatis, quo quis se determinat ad aliquid faciendum. Et multiplex est

---

(1) Ex lege enim extraordinaria, atque privilegio potest Angelus, vel homo comprehensor Sacramenta administrare. Ita Doctores communiter.

(2) Id satis constat ex verbis Christi Domini ad discipulos Matth. ult.: *Euntes docete omnes Gentes baptizantes eos in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Hinc Apostolus I. ad Corinth C. 4. scribit: *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi, et dispensatores Ministeriorum Dei.*

(3) Sessione enim VII. Can. 10: ita loquitur: *Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo, et omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem; anathema sit.*

(4) Ita ex Concilio Trid. Sess. VII. Can. II. ubi legitur: *Si quis dixerit, in Ministris, dum Sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.*

nempe I. *Actualis*, *virtualis*, *habitualis*, *et interpretativa*. II. *Absoluta*, et *conditionata;* III. *Directa et Indirecta*. Actualis est illa, qua quis intelligit actu aliquid facere. Virtualis est ipsa intentio actualis praeterita, non retractata, et actu moraliter perseverans in aliquo opere. Habitualis est intentio aliquando habita, et nunquam retractata. Interpretativa vero, quae nec umquam fuit, nec actu est; animus tamen operantis est ita dispositus, ut eam haberet si de ea cogitaret. Intentio absoluta est, qua quis aliquid intendit indipendenter a quocumque eventu. Conditionata vero, qua quis aliquid vult dependenter ab aliqua conditione. Intentio directa, qua quis vult aliquem effectum in seipso; Indirecta vero, qua quis vult effectum in causa.

Q. *Quaenam ex his intentionibus requiritur, ut Minister rite conficiat Sacramenta?*

R. Licet optima sit intentio actualis, ea tamen non est necessaria ut Sacramenta rite conficiantur, sed sufficit intentio virtualis. Habitualis vero non sufficit, et multo minus interpretativa (1).

Q. *Intentio Ministri Sacramentum conficientis debet ne esse determinata ad certam materiam, et personam?*

R. Affirmative. Nam in Sacramentis conficiendis intentio Ministri debet esse efficax, et effectrix Sacramenti; Unde ferri debet circa materiam determi-

---

(1) Ita communiter Doctores. Et sane, ait Seraphicus Doctor Parte VI. *Brevil.* de Sacram. Cap. IV. *Dispensatio Sacramentorum est opus hominis ut rationalis, ut Ministri Christi, et uti Ministri salutis. Hinc est, quod necesse est, quod fiat ex intentione qua quis intendat facere quod Christus instituit ad humanam salutem, vel saltem facit Ecclesia*. Vid. Ferraris V. *Intentio* n. 144. et seq.

natam; cum actiones sint circa singularia, et determinata, non vero circa universalia, vaga, atque indeterminata.

Q. *Est ne validum Sacramentum collatum sub conditione de praeterito, aut de praesenti, si purificata sit conditio?*

R. Affirmative. Nam, posita conditione, voluntas conditionalis transit in absolutam. Revera validus est Baptismus sub hac formula ministratus: *Si non es baptizatus, ego te baptizo.*

Q. *Est ne licitum Ministro in Sacramentorum collatione apponere conditionem de praeterito, vel futuro?*

R. Quidquid fuerit de primis Ecclesiae saeculis, hodie praxis communis est, ut quoties justa causa adest, est licitum (1).

Q. *Ut valida sint Sacramenta, requiritur ne in Ministro Fides, et Sanctitas?*

R. Negative; et oppositum est a Sancta Tridentina Synodo damnatum (2).

---

(1) Vid. Elem. Theol. pract. T. IV. de Sacram. in genere C. 2. Prop. 9.

(2) Et quidem quod in Ministro necessaria non sit Fides, en verba Trid. Sess. VII. Can. 4. *Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur, ab Haereticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, anathema sit.* Quoad sanctitatem vero, haec alia ibid. Can. 12. leguntur. *Si quis dixerit, Ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quae ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum, anathema sit.*

Q. *Licet ne petere, aut accipere Saeramenta a Ministro non tolerato?*

R. Non licet, excepto Baptismo, et Poenitentia in extremo mortis periculo.

Q. *Est ne licitum petere, aut accipere Sacramenta a Ministro malo tolerato, quem constat mortaliter peccaturum administrando?*

R. Si adest alius probus, qui potest Sacramenta ministrare, et tunc non licet, quia ex lege charitatis non debemus gratis praebere alteri peccandi occasionem; unde si possumus ab alio probo ministro Sacramenta suscipere, petere illa a malo Ministro non debemus.

Q. *Possumus ne petere, et accipere Sacramenta a malo Ministro tolerato, si alius probus deest, et aliunde adest justa, et gravis causa, vel aliqua necessitas?*

R. Affirmative. Ita communiter Theologi (1).

Q. *Si alius non adest, licet ne a Parocho improbo, petere, et accipere Sacramenta, etiam extra casum necessitatis?*

R. Licet. Ita communiter Doctores (2).

---

(1) Et ratio est; quia, verbis utor P. Lucii Ferraris V. Minister *Sacramentorum* n.° 57. Quia tunc » petens, et recipiens utitur jure suo, providendi suae » necessitati, vel utilitati spirituali; nec ullo modo » cooperatur ad peccatum alterius, sed ob justam cau» sam excusantem ab impediendo peccatum proximi » solum permissive se habet, et aliunde Minister pos» set et deberet, se disponere per contritionem, fa» ciendo quod in se est ». Et ita quoque per textum *in Cap. Sciscitantibus* 5. Caus. 15. q. 8.

(2) Id quod colligunt ex Cap. *Sciscitantibus* 15. *q.* 8. Et accedit ratio, ait Reinfestuel *Tract. IV. De Sacramentis Art.* 1. *q.* 4. *n.* 56. « quia sub» ditus, utpote Parochianus, habet jus petendi et ac-

Q. *Quomodo peccat, qui scienter ministrat Sacramenta indignis?*

R. Per se loquendo, graviter peccat; et quidem 1. contra Domini praeceptum (1): *Nolite sanctum dare canibus.* 2. contra Religionem, quae exigit ut Sacramenta digne ministrentur, et suscipiantur; 3. contra charitatem, quae prohibet cooperari sacrilegae Sacramentorum receptioni (2).

Q. *Est ne aliquando licitum simulare Sacramentorum administrationem?*

R. In nullo excogitabili casu licet, esto pericu-

» cipiendi Sacramenta a suo Parocho, neque tale jus » is amittere censetur ob sui Parochi malitiam, prae- » sertim cum is, dummodo velit, possit se prius vel » per Confessionem, vel saltem per contritionem re- » stituere in statum gratiae.

(1) Apud S. Matth. Cap. IV. v. 7.

(2) Quare negari debent Sacramenta publicis peccatoribus, etsi illa publice petant. Item negari debent peccatori occulto, si tamen occulte petat, et Minister a quo petit non sit Confessarius, qui ejus peccata per viam Confessionis sciat. Siquidem verbis utor P. Cuniliati *Tract. XIII. de Sacramentis in Genere §. II. n. III.* 3. quae hac via cognoscuntur, pro exterius » ignoratis reputari debent, praesertim cum inde im- » minet poenitentis confusio. Quod si sit peccator occultus et publice petet, deneganda non sunt Sacramenta; exemplo Christi Domini, qui esto sciret Judae Iscariotis indignitatem, adhuc tamen Eucharistiam illi ministravit, salvare volens illius extimationem apud alios discipulos. *Debet ergo Sacerdos* ait Angelicus Doctor *Quod. V. art. 12. peccatorem occultum primo quidem monere, ut poenitentiam agat, et sic ad Sacramentum accedat. Quod si poenitens noluerit, debet ei occulte inhibere, ne aliis communicandis in publico se immisceat; quod si se immiscuerit, debet ei dare hostiam consecratam.*

lum adsit vitae, aut infamiae (1). Nam simulare Sacramentorum administrationem est semper intrinsece malum; tum ob perniciosissimum mendacium, quod Minister committit; tum ob gravia scandala, et mala, quae in populo exoriri possunt (2).

Q. *Quodnam est Sacramentorum subjectum?*

R. Est solus homo viator; quia juxta ordinem praesentis providentiae, solus homo viator est capax primae gratiae, et gratiae augmenti.

Q. *Requiritur ne in homine necessario Baptismus, ut sit capax aliorum Sacramentorum?*

R. Utique requiritur, quia Baptismus est janua omnium Sacramentorum, et ipso renascimur ad

---

(1) Hinc jure, meritoque ab Innocentio XI. proscripta fuit sequens Propositio: *Urgens metus gravis est justa causa Sacramentorum administrationem simulandi.*

(2) Quapropter ad evitandum quodcumque malum, non licet, sub gravissimo mortali peccato, scienter ministrare, etiam consensienti, hostiam non consecratam; uti expresse docuit D. Thomas 3. p. q. 80. art. 2. Similiter non licet simulare Missae celebrationem, elevando hostiam non consecraatam, quia Sacerdos, quantum in se est, occasionem idololatrandi praebet, quod est maximum facinus. Ita Doctores communiter. Peccat quoque Confessarius, qui profert supra poenitentem integram formam absolutionis Sacramentalis, absque tamen intentione illum vere absolvendi. Excusant tamen, communiter Auctores, ait *Concina Lib. 1. de Sacram. in Gen. diss. unica Cap. XII. n.* 16. eum, qui ex metu gravi injusto contrahit Ma-
» trimonium; quamvis nullum efficiat Sacramentum:
» quoniam tunc deest tum materia, tum forma Sacra-
» menti, cum desit voluntarius consensus. Matrimonium
» autem, ob metum gravem contractum, nullum est ».

vitam gratiae, membra Jesu Christi efficimur, et Ecclesiae filii (1).

Q. *Quaenam requiruntur in adulto ad validam Sacramenti susceptionem?*

R. Requiritur 1. ut non habeat voluntatem contrariam ejus susceptionis (2); excepta Eucharistia, 2. ut habeat positivum consensum (3).

Q. *Est ne in adulto ad validam Sacramentorum susceptionem necessaria intentio actualis, vel virtualis?*

Q. Negative (4), sed sufficit habitualis, et in aliquibus, interpretativa; excepto Sacramento Matrimonii (5), et ordinario, etiam Poenitentia (6).

---

(1) Ita Bonifacius VII. in *C.* 2. *de cognatione spirituali in* 6. Vid. Angelicus in IV. Sent. dist. 24. q. 1. art. 2. quaestione 3.

(2) Nam juxta Innocentium XI. ex *Cap.* Majore §. item quaeritur de Baptismo: *Ille qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti.*

(3) Et sane si, ex Tridentina Synodo Sess. IV. Cap. 7. *Justificatio non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae, et donorum*; si in suscipiente Sacramentum non est positivus consensus, quomodo susceptio gratiae, et donorum dici posset voluntaria?

(4) Id constat ex constanti Ecclesiae praxi, quae repentino morbo oppressis, et obmutescentibus, ministrat Baptismum, et Extremam Unctionem, dummodo constat ex aliquo testimonio, illos ea postulasse.

(5) Nam ad valorem contractus, cujusmodi est Matrimonium, requiritur consensus virtualis.

(6) Siquidem materia proxima Poenitentiae sunt actus poenitentis, qui nequeunt consistere cum intentione solum habituali, vel interpretrativa. In casu tamen extremae necessitatis, si quis antea dederit signa

CAPUT IV.

De Sacramentorum effectibus, eorumque Caeremoniis.

Q. *Quot sunt Sacramentorum effectus?*

R. Sunt duo, scilicet *Gratia* (1), quae omnibus Sacramentis communis est; et *Character*, qui aliquorum tantum proprium est; nempe Baptismi, Confirmationis, et Ordinis (2).

Q. *Quaenam gratia est primarius Sacramentorum effectus?*

R. Est gratia sanctificans, seu habitualis, quae a Theologis etiam vocatur *Gratia gratum faciens*.

Q. *Praeter gratiam sanctificantem, confert ne quodlibet Sacramentum peculiarem aliquam gratiam?*

R. Affirmative; confert nempe gratiam, quae sacramentalis dicitur (3).

Q. *Sacramenta conferunt ne aequalem gratiam suscipientibus?*

R. Quando suscipientes habent eamdem omnino dispositionem, Sacramenta eis aequalem gratiam con-

---

poenitentiae, et Confessarium exquisierit, esto nequeat amplus, propter morbi vim confiteri, Ecclesia pia mater absolutionem concedit.

(1) Ita statutum est a Concilio Tridentino Sess. VII. Can. 6. his verbis: *Si quis dixerit Sacramenta Novae Legis non continere gratiam, quam significant; aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre . . . . anathema sit.*

(2) Uti supra dictum est ex eodem Trid. Sess. cit. Can. 9.

(3) Leg. Concina *Lib. 1. de Sacram. in genere Cap. IX.* n. 39. q. 3.

ferunt; secus vero si ipsorum dispositio inaequalis est, atque diversa (1).

Q. *Sacramenta, quae dicuntur vivorum, possunt ne aliquando, per accidens, conferre primam gratiam?*

R. Negant aliqui; sed communis cum D. Thoma (2), constanter affirmat.

Q. *Quaenam veniunt nomine Sacramentalium?*

R. Sacramentalium nomine hic proprie veniunt ritus, et caeremoniae, quae ex Ecclesiae statuto, in Sacramentis sive conficiendis, sive administrandis, adhiberi debent.

Q. *Quare dixisti, hic proprie veniunt?*

R. Quia nomine Sacramentalium communiter veniunt *Pater noster*, praeces quae funduntur in Ecclesia consecrata; *Confiteor* dictus sive in recitatione Divini Officii, sive in introitu Missae, sive ante Confessionem Sacramentalem; *Eleemosynae*; *Benedictio* Episcopi, vel Abbatis consecrati. Similiter *consecrationes*, vel *benedictiones* variarum rerum, seu res ipsae Sacrae, vel benedictae, uti Ecclesiae, calices, planetae.

Q. *Quaenam sunt Sacramentalia proprie dicta?*

---

(1) Ita clare colligitur ex Concilio Triden. Sess. VI. Cap. 7. ubi declaratur, in baptizatis, justitiam recipi, *secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult, et secundum propriam cujuscumque dispositionem, et cooperationem.*

(2) Ait enim S. Doctor P. III. q. 79. art. 3. *Potest tamen hoc Sacramentum operari remissionem peccati . . . . etiam perceptum ab eo, qui est in peccato mortali, cujus conscientiam, et affectum non habet. Forte enim primo non fuit sufficienter contritus; sed devote, et reverenter accedens, consequetur per hoc Sacramentum, gratiam charitatis, quae contritionem perficit, et remissionem peccati.*

R. Sunt sequentes, quae hoc versiculo comprehenduntur.

Orans, Tinctus, Edens, Confessus, Dans, Benedicens.

Scilicet 1. Oratio Dominica, seu Pater noster: 2. Sumptio, vel receptio aquae benedictae, tempore aspersionis; 3. devota comestio panis benedicti, qui a Veteribus Eulogia dicebatur; 4. Confessio quae fit in principio Missae; et ad Primam, et Completorium; 5. Eleemosynae largitio, et alia misericordiae opera; 6. tandem Benedictio Episcopi, vel Abbatis consecrati, solemni ritu, ac signo Crucis populo data (1).

Q. *Habet ne Ecclesia auctoritatem sacros ritus praescribendi?*

R. Affirmative; uti est a Tridentina Synodo expresse declaratum (2).

Q. *Ad quid Ecclesia ritus sacros, atque caeremonias in Sacramentorum confectione, et administratione praecepit?*

R. Ut Sacramenta majori cum reverentia, et cultu a Sacris Ministris conficerentur, atque administrarentur; et ut his ritibus, atque caeremoniis magis foveretur fidelium pietas, et devotio erga Sacramenta (3); et hinc attentius disponerentur ad illa cum debita cordis munditia, et religione suscipienda.

---

(1) Consul Cuniliati Append. de Sacramentalibus. Anacletus Tract. 3. dist. 2. q. 3. num. 34 ad 39.

(2) Sessione enim XXI. Cap. 2. inquit: *Haec autem potestas perpetuo in Ecclesia fuit, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, et locorum varietate magis expedire judicaret.*

(3) Vid. Concil. Trid. Sess. XXII. Cap. V.

Q. *Differunt ne Sacramentalia a Sacramentis?*

R. Affirmative. Nam Sacramenta sunt a Christo Domino immediate instituta; Sacramentalia vero fuerunt ab Ecclesia praescripta. Sacramenta conferunt gratiam ex opere operato; Sacramentalia vero ex opere tantum operantis.

Q. *Sacramentalia habent nè vim remittendi venialia?*

R. Affirmative. Ita Angelicus Doctor (1).

Q. *Quomodo peccat qui ritus ab Ecclesia in solemni Sacramentorum administratione statutos, non servat.*

R. Si id facit ex contemptu, laethaliter peccat; Si vero id facit alia ratione, peccat mortaliter si inobservantia est in materia gravi; venialiter vero si est in materia levi.

Q. *Quale peccatum committit Sacerdos, vel Episcopus, si sacramentalia, cum conscientia peccati mortalis, ministrat?*

R. Non desunt, qui dicant, Sacerdotem, vel Episcopum, si Sacramentalia exerceat, Nuptias, aquam benedicat, Altaria, Templa, vasa consecret, concionetur, Eucharistiam de loco in loco transferat, mortaliter peccare (2). Alii vero tenent mortaliter non peccare (3). Et haec sententia verior existimatur.

---

(1) Ita enim q. 87. art. 3. ad 1. *Dicendum, quod omnia ista* (hoc est Sacramentalia) *causant remissionem venialium, in quantum inclinant animum ad motum poenitentiae, qui est detestatio peccatorum vel implicite, vel explicite.*

(2) Ita Sylv. Cajetanus, Fillucius, Navarra etc.

(3) Inter quos Suarez, Vasquez, Layman, Card. de Lugo, aliiqui. Et ratio est, *ait Bussembau Lib. VI. Tract. 1. Cap. 2. de Sacram. dub. 2. n. 7*, » quia hae actiones non tendunt proximae ad sancti- » ficationem animae ex opere operato, sicut actiones » sacramentales ».

TRACTATUS III.

De sacramentis Baptismi, et Confirmationis.

Quoniam ex Florentino Concilio, *Primum omnium Sacramentorum locum tenet Baptismus, quod vitae spiritualis janua est; per ipsum enim membra Christi, et de corpore efficimur Ecclesiae. Cumque ipse sit fundamentum omnium Sacramentorum, ante susceptionem Baptismi non suscipiatur aliud Sacramentum, quoniam ubi fundamentum non est, superedificari non potest*, de Sacramentis in specie sermonem instituere volentes, opus est a Baptismo exordiamur; et quia per Sacramentum Confirmationis, in suscepta per Baptismum fide, et Religione confirmamur, et novas vires, et arma recipimus, ut adversos invisibiles, atque visibiles hostes stare possimus, eosque penitus vincere, et superare, de hoc alio Sacramento verba quoque faciemus. Unde sit.

CAPUT I.

De Baptismi Notione, Institutione, et Necessitate.

Q. *Quid est Baptismus?*

R. Baptismus, ex Catechismo Romano (1), *Est Sacramentum regenerationis per aquam in verbo.*

Q. *Quotuplex Baptismus distingui solet?*

R. Triplex; nempe *Fluminis*, *Flaminis*, *et Sanguinis*. Baptismus fluminis est ille, mox definitus. Flaminis est propositum, atque ardens desiderium suscipiendi Baptismum Fluminis, modo debito; conjunctum cum amore Dei, quo movetur homo ad cre-

(1) Parte II. Cap. 2. §. 3.

dendum, et ad poenitendum de peccatis. Sanguinis tandem est effusio sanguinis pro Jesu Christi fide (1).

Q. *Quis instituit Baptismum, et quando?*

R. Instituit Christus Dominus, ut supra jam dictum est; Quando vero instituit, licet in quo praeciso tempore instituerit, dissidium sit inter Doctores, omnino tamen tenendum est, ante suam Passionem instituisse (2).

Q. *Baptismi Sacramentum est ne omnibus ad salutem necessarium?*

R. 1. Necessarium aliquid dupliciter dici potest; vel nempe necessarium *necessitate medii*; hoc est ita, ut eo deficiente, finis consequi nequeat; vel necessarium *necessitate praecepti*; hoc est, ita tale, quia praeceptum. Atque utrumque hoc necessarium, aliud dicitur necessarium *in re*, aliud *in voto*. Necessarium in re illud dicitur, quod reapse poni debet, ut finis consequatur. Necessarium vero in voto illud dicitur, quod necessario debet adhiberi, vel secundum aliquid ejus vires tenens, propter suam eminentiam, et ejus votum explicitum, vel implicitum continens. His positis.

---

(1) Ex his primus tantummodo est Sacramentum; alii vero Sacramenta non sunt; *cum in eis*, ut ait Seraphicus Doctor Centiloquii P. 3. Sect. 48. *deficiant quae conveniunt Sacramento, scilicet repraesentatio ex similitudine, significatio ex institutione, et sanctificatio ex verbi prolatione*. Quare Baptismi Sacramentum unum est; *Unus namque Dominus, Una Fides, unum Baptisma*, inquit Apostolus ad Ephesios Cap. IV. v. 5.

(2) Constat enim, Christum Dominum ante Passionem suam Baptismum administrasse. Legitur quippe apud Joan. Cap. 3. *Venit Jesus, et discipuli ejus in terram Judaeam, et illic demorabatur cum eis, et Baptizabat*. Idipsum quoque Apostolos fecisse, patet ex eodem Joanne Cap. IV.

R. 2. Baptismi Sacramentum extra casum Martyrii, omnibus hominibus necessarium est ad salutem, infantibus quidem necessitate medii, et in re (1): Adultis vero necessitate tum medii, cum praecepti, sive in re, sive in voto (2).

Q. *Potest ne iterari Sacramentum Baptismi?*

R. Nequit interari, et si aliquis illud iterari auderet, gravissimum sacrilegii peccatum committeret; et ex Jure Canonico, simul cum rebaptizato incidieret in irregularitatem.

Q. *Si quis non posset Baptismi Sacramentum suscipere, esset ne aliquid, quo illius vices suppleri posset?*

R. Maxime; nempe *Baptismus flaminis, vel sanguinis.* Hi enim, licet Sacramentum non sint, in necessitate tamen, Baptismi fluminis vices gerunt (3).

---

(1) Ita expresse dixit Christus Dominus apud S. Joan. Cap. 3. his verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire Regnum Dei.* Unde Tridentina Synodus Sess. VII. Can. de *Baptismo*, ita statuit: *Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est non necessarium, anathema sit.*

(2) Nam Christus, post Resurrectionem praecepit discipulis suis dicens: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.*

(3) Et quod ad Baptismum flaminis attinet, docent omnes Theologi; quoad vero illum Sanguinis, eadem est sententia constans Doctorum, et Ecclesiae Patrum. Unde Augustinus *Lib. XIII. de Civit. Dei* Cap. 17. scripsit. *Quicumque etiam non percepto regenerationis lavacro per Christi confessionem moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si ablueretur sacro fonte Baptismatis.*

Q. *Quid requiritur in adulto, ut Baptismo flaminis suppleat vices Baptismi fluminis*?

R. Requiritur, quod si habeat peccata laethalia, corde vere coutrito et humiliato illorum paeniteat cum proposito amplius non peccandi, et sincero desiderio, atque voto, Baptismum fluminis recipiendi.

Q. *Quaenam dispositiones requiruntur in adultis, ut cum fructu Baptismum Sanguinis recipiant*?

R. Sequentes necessario requiruntur dispositiones; 1. scilicet, voluntaria acceptatio mortis, in odium fidei illatae; 2. Ut martyrium sustineatur ob fidem Christi, et ex motivo supernaturali per fidem proposito; 3. Caritas saltem initialis, et imperfecta (1).

Q. *Quid agendum in dubio an quis sit baptizatus nec non*?

R. In tali casu, quodcumque sit dubium, sive juris, sive facti, sive negativum, sive positivum, iterandus est Baptismus; verum sub conditione, scilicet: *Si non es baptizatus, ego te baptizo* (2).

Q. *Quid agendum, quoties baptismus, in necessitate, administratus est ab obstetrica, patre, vel matre*?

Q. Si apparet justa, et rationabilis causa dubitandi de validitate talis Baptismi ab illis dati, et tunc Baptismus iterandus est sub conditione; si vero ex testibus fide dignis constat, illos in Baptismi administratione nihil omisisse eorum, quae ad validam

---

(1) Ita Doctores communiter. Vid. D. Thomas, 2. 2. q. 124. art. 2. ad 2.

(2) Nam, *In hujusmodi casibus*, ait *S. Leo* ɪ. *Epist. ad Rusticum*, *agendum est*, *ut Renascantur ne manifeste pereant*, *in quibus quod non ostenditur gestum*, *ratio non sinit ut videatur iteratum*;

illius administrationem necessario requiruntur, et tunc iterari non debet (1).

Q. *Quid agendum quando inveniuntur infantes expositi?*

R. Ipsi rebaptizandi sunt sub conditione, etiamsi inveniantur cum schedula testante de Baptismo suscepto (2).

CAPUT II.

De Materia, et Forma Baptismi.

Q. *Quotuplex est Baptismi materia?*

R. Duplex est; *remota* nempe, et *proxima*.

Q. *Quaenam est materia remota Baptismi?*

R. Est aqua naturalis, atque elementaris sive pluviae ea sit, sive maris, sive fontis, sive putei, sive fluminis, sive balnei (3); eaque sive calida sit si-

---

(1) Cons. Synod. Neap. 1725. P. 2. C. 2. de Sac. Baptismi §. 6.

(2) Ita ex supradicta Synodo Neapolitana ibid. §. IX. ubi expresse habetur: *Expositi autem infantes, licet cum schedula de suscepto Baptismate reperiantur, sub conditione rebaptizentur etc.*

(3) Nam quoties in Scripturis fit sermo de Baptismo, mentio fit de aqua uti illius materia. Ita apud Joannem Cap. 3 ait *Christus*: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua etc.* Et Actorum cap. 8. dixit Eunuchus Philippo: *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?* Unde Augustinus Tract. XV. in Joan. 4. *Tolle aquam, ait, non est Baptismus.* Recte propterea Tridentina Synodus Sessione VII. de Baptismo, hunc edidit Canonem: *Si quis dixerit aquam veram, et naturalem, non esse de necessitate Baptismi, anathema sit.*

ve frigida (1).

Q. *Est ne valida materia Baptismi aqua naturalis, esto sit aliis rebus tantum permixta?*

R. Si usum communem, et ex stimationem aquae naturalis retinet, est valida, secus non (2).

Q. *Quomodo peccat Minister, qui in Baptismo administrando non adhibet aquam, ex recepto Ecclesiae usu, benedictam?*

R. Si id facit in Baptismate solemni, aut sine ulla necessitate, graviter peccat, quia violat Ecclesiae praxim (3) in materia reverentiae Baptismi Saeramento debitae. Si vero id facit in aliqua necessitate, vel in Baptismo privato, et tunc, quidquid aliqui dicant, non peccat.

Q. *Licet ne aliquando uti materia dubia in Baptismi administratione?*

---

(1) *Ideoque nniformiter id fieri in aqua praecipitur*, ait Seraph. Doctor Lib. IV. Sent. Dist. 3. q. 3 *ut intelligatur, quod sicut aqua sordes corporis ac vestis abluit, ita Baptismus maculas animae, sordesque vitiorum emundando abstergit. Vel ideo, ut nullum inopia excusaret; quod posset fieri si in vino, vel oleo fieret.*

(2) Quapropter valida est Baptismi materia, aqua resoluta ex nive, glacie, grandine, aut rore Coeli, aut ex panno madito, vel luto expressa, aut sulphurata, ferruginata.

(3) « 1. Quia, *verbis utor P. Cuniliati de* Baptismo §. II. n. 2. » aqua Chrismate delibuta, expressius » significat unctionem Spiritus Sancti. 2. quia Eccle» siae solemnitas in consacrando Chrismate, ejusque in » eodem observando cura, gravem patefacere obligatio» nem videtur; 3. quia gravis criminis reus judicari » solet Episcopus, qui per singulos annos in Caena » Domini, Chrisma non conficit, seu Parochus, qui non » recenti, sed anni praecedentis Chrismate, quod post » Pascha comburere debuerat, utitur.

R. In aliqua extrema necessitate, veluti si quis deberet baptizari, et esset moribundus, nec Minister in promptu habere posset materiam certam, nempe aquam naturalem, et tunc licet (1). Si vero hujusmodi necessitas deest, non licet, quia sic pro lubitu salutem spiritualem suscipientis Baptismum in discrimen vocaret; atque magnam irreverentiam Sacramento irrogaret.

Q. *Quaenam est materia proxima Baptismi?*

R. Materia proxima Baptismi est ablutio, seu aquae usus, quo per manus Ministri corpus abluitur.

Q. *Quotupliciter ablutio solet adhiberi?*

R. Tripliciter; nempe 1. *Immersione*; 2. *Infusione*; 3. *Aspersione.* Fit immersione, quoties vel totum corpus, vel caput solum baptizandi in aquam immergitur. Fit infusione, quando aqua versatur supra caput baptizandi. Fit tandem aspersione quando in caput baptizandi guttae aquae proijciuntur.

Q. *Est ne validus Baptismus quaecamque ex his tribus abluendi modis, ablutio fiat?*

R. Affirmative. Nam Christus Baptismum instituendo, aquae ablutionem praescripsit, at modum abluendi non praescripsit; quoties ergo fit ablutio aquae, quolibet ex his modis fiat, validus est Baptismus.

Q. *Peccat ne qui in administratione Baptismi non servat ritum suae Ecclesiae?*

R. Si id facit sine necessitate ulla urgente, peccat graviter; quia ait D. Thomas (2), ritum Ecclesiae suae non observat; secus vero non.

---

(1) *Quia*, uti ex Cap. *Si nulla*, de *Consecr: dist.* 4., *non intervenit temeritas praesumptionis, ubi est diligsntia pietatis.*

(2) P. III. q. 66. art. 8.

Q. *Quid ad Baptismi validitatem requiritur, quoad aquae ablutionem?*

R. Requiritur ut infusio aquae, successive, et immediate fiat ad praecipuam corporis baptizandi partem, nempe caput; nec sufficit quicumque aquae contactus; nam in tali casu non verificaretur ablutio requisita; illa nempe ablutio, qua carnes baptizandi immediate aqua attinguntur (2).

Q. *Valet ne Baptismus per immersionem datus, etsi ob mortem, non succedat emersio?*

R. Si ante mortem completus est Baptismus; hoc est prolata fuit integra forma simul cum immersione, valet; secus, non.

Q. *Quid agendum si mater praegnans mortua fuerit?*

R. Quamprimum fieri potest, extrahi debet foetus ex utero matris, et si vivus invenitur, debet baptizari (3).

Q. *At si Matris sanitas omnino desperatur, licet ne persecare ejus uterum, et foetum inde extrahere, ut baptizetur?*

R. Non licet (4).

Q. *Quaenam est vera, et valida forma Baptismi?*

---

(1) Quare ad Baptismi validitatem non sufficit una, vel altera aquae gutta, quae successive non defluit in corpus baptizandi. Neque vere baptizati dicendi sunt, quorum nulla pars corporis, immediate aqua non tangitur.

(2) Ita communiter ex Rituali Romano.

(3) *Non sunt* enim, ait Apost. Rom. 3. v. 8. *facienda mala ut eveniant bona.* Unde in tali casu, inquit D. Thomas in IV. dist. 6. q. 1. art. 1. ad X *Homo potius debet dimittere perire infantem, quam ipse pereat, homicidii crimen in matre committens.*

R. Vera et valida forma Baptismi in Ecclesia Latina est haec: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Nam ad valorem formae Baptismatis haec requiruntur; 1. exprimenda est persona baptizans; si non expresse, saltem implicite; 2. persona baptizanda; 3. actio baptizandi; et 4. expressio unitatis, et Trinitatis Divinarum Personarum; atqui haec omnia inveniuntur in dicta forma; ergo ec. Et sane dicens Minister. *Ego te baptizo*, exprimit ly *ego* personam baptizantem; ly *te*, personam suscipientem Baptismum; ly Baptizo actionem baptizandi; et sequentibus verbis: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, exprimit unitatem in Deo et Trinitatem Personarum. Ergo etc.

Q. *Est ne valida forma, qua utuntur Graeci in administrando Baptismo?*

R. Communi Theologorum sententia, est valida (1). Nam talis forma haec est: *Baptizetur servus, Dei*, si est masculus, vel *serva Dei*, si est foamina: *in nomine Patris, et filii; et Spiritus Sancti.* In ea enim, ut patet, licet implicite, contineatur persona baptizans, omnia alia inveniuntur ad validam Baptismi administrationem necessaria (2).

---

(1) Ita definitum est ab Eugenio IV. in *dec. ad* Armaenos; a Leone X. in Bulla *accepimus nuper*; et a Clemente VII. in Bulla: *Provisionis nostrae.*

(2) Vid. Concina Dissert. 1. *De Baptismo Cap. VI. n. 8.* aliisque fusius. Ferraris V. *Baptismus Art. III. n. 17.*

CAPUT IV.

De Ministro, Subjecto, atque effectibus Baptismi

Q. *Quotuplex est Baptismi Minister?*

R. Baptismi Minister duplex est; nempe *Necessitatis*, *et solemnitatis. Minister necessitatis est ille, qui necessitate urgente, et defectu illius, cui ex officio competit, sine solemni ritu, Sacramentum administrat. Minister vero solemnitatis est ille, qui potestatem habet solemni ritu baptizandi.* Et hic, si ei ex officio onus incumbit baptizandi, vocatur *Minister ordinarius;* si vero id habet ex commissione, dicitur *extraordinarius.*

Q. *Est ne validus Baptismus a quocumque homine viatore collatus?*

R. Est validus, dummodo necessariam materiam, et formam adhibeat; ut patet ex Concilio Lateranense IV. (1)

Q. *Quinam est ordinarius Baptismi Minister?*

---

(1) In hoc siquidem Concilio An. 1215. sub Innocentio III. celebrato, rellato in Cap. *firmiter extra de Sum. Trinit. et Fide Cathol.* §. *Sacramentum*, legitur: *Baptismum tam parvulis quam adultis, in forma Ecclesiae, a quocumque rite collatum proficere ad salutem.* Quare, *omnes etiam de populo*, ut legitur in Catehismo Romano P. II. de Baptismo C. 2. n. 24. *sive mares, sive foeminae, quamcumque illi Sectam profiteantur, Baptismum possunt conferre: Nam et Judaeis quoque, Infidelibus, et haereticis, cum necessitas cogit, hoc munus permissum est; si tamen id efficere propositum eis fuerit, quod Ecclesia Catholica in eo administrationis genere efficit. Haec autem multa Veterum Patrum, et Conciliorum decreta confirmarunt etc.*

R. Sacerdos (1), sed non sine dependentia a Superiore, alias illius jus violaret.

Q. *Quale peccatum committeret, qui inconsulto Episcopo, vel Parocho baptizaret?*

R. Si id faceret absque ulla necessitate, graviter peccaret; secus vero si in necessitate.

Q. *Diaconus est ne minister solemnis Baptismi?*

R. Est quidem, sed extraordinarius (2).

Q. *Peccat ne Diaconus, qui praesente simplici Sacerdote, Baptismum ministrat?*

R. Peccat, et quidem laethaliter.

Q. *Quomodo peccat Laicus, qui praesente Subdiacono, vel alio Clerico in necessitate baptizat?*

R. Adest dissidium inter Doctores. At probabilius videtur venialiter peccare; dummodo tamen id non faciat in illorum contemptum.

Q. *Est ne licitum in privatis locis Baptismum conferre.*

R. Sine ulla necessitate licitum non est. Excipiuntur tamen Cappellae, seu Oratoria Regum, et Magnorum Principum (3).

Q. *Est ne validus Baptismus infanti, adhuc in Matris utero degenti, datus in casu necessitatis?*

---

(1) Ita Eugenius IV. in suo Decreto: *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare.*

(2) Patet id ex Pontificali Romano, in quo Episcopus candidatos Diaconos alloquens, dicit: *Diaconum oportet ministrare ad Altare, Baptizare, et praedicare.*

(3) Ita ex Rituali Romano, cujus haec sunt verba: *Necessitate excepta, in privatis locis nemo baptizare debet, nisi forte sint Regum, aut magnorum Principum filii, id ipsis deposcentibus; dummodo id fiat in eorum Cappellis, seu Oratoriis, et in aqua baptismali benedicta.*

R. Communiter docetur validum non esse (1). At non desunt, qui dicunt esse validum, dummodo fieri possit, ut peritorum, aut obstetricis industria, aqua, quomodocumque pertingat ad corpus infantis abluendum.

Q. *In Baptismi administratione requiritur ne aliquis, qui baptizatum de sacro fonte suscipiat?*

R. Affirmative. Ita enim tenent communiter Doctores; isque vocatur Patrinus, hoc est Pater regenerationis spiritualis (2).

Q. *Quot Patrini in Baptismo requiruntur?*

R. Ex Concilio Tridentino (3), unus tantum, sive vir, sive mulier; vel scilicet unus, et una, ad summum duo. Quod si plures offerrentur, Parochus potest ex illis duos, pro libitu, eligere.

Q. *Quinam ad Patrinorum numerum possunt admitti?*

R. Omnes illi fideles, qui adimplere possunt cum baptizato officia pedagogi et Magistri, eos in fide, et bonis moribus instruendo, eisque monita salutis, et bonorum exemplum praestare (4).

---

(4) Vid. P. P. Concina §. II. de Baptismo num. 5. etc.

(5) Atque hujus rei, congruentem, more suo assignat rationem Angelicus Doctor P. III. q. 67. art. 7. his verbis: *Spiritualis regeneratio; quae fit per Batismum assimilatur quodammodo generationi carnali; unde dicitur* I. Petri C. 2. Quasi modo geniti infantes, rationabiles, sine dolo lac concupiscite. *In generatione autem carnali, parvulus nuper natus, indiget nutrice, et pedagogo. Unde in spirituali generatione Baptismi requiritur aliquis, qui fungatur vice nutricis, et padagogi, informando et instruendo eum quasi novitium in fide.*

(1) Sess. XXIV. C. XI.

(2) Quare ab hoc officio arcendi sunt omnino Hae-

Q. *Qualiter peccat Parochus, Baptismum sine Patrino ministrans?*

R. Graviter peccat, quia ritus ab Ecclesia praescriptos non servat.

Q. *Quaenam sunt Patrinorum officia?*

R. Patrinorum officia sunt quae sequuntur; 1. » Offerre baptizandos Ecclesiae; 2. pro illis promit- » tere; 3. illorum loco ad interrogata respondere, Sym- » bolum recitare, Fidem profiteri, et Sathanae abre- » nuntiare. 4. testes Baptismi esse; et dubio occur- » rente, fidem facere; 5. debitum contrahere imbuendi » susceptum, fidei, morumque praeceptis (1).

Q. *Quisnam est Baptismi subjectum?*

R. Baptismi subjectum est omnis homo viator

---

retici, et Schismatici, cum quibus ab Ecclesia omne commercium vetitum est. Similiter omnes pueri ante quartumdecimum aetatis annum, utpote non satis idonei ad Patrini officia adimplenda. Insuper ad tale officium admittendi non sunt Monachi Religiosi Ordinum Mendicantium; sicuti Clerici saeculares Sacris initiati; Uti patet ex Constitutionibus cujuscumque Ordinis Monachorum et Regularium; et clare statutum legitur in Concilio Provinciali Aquensi, his verbis: *Compater ne adhibeatur Regularis aliquis, nec passim Clericus saecularis sacris initiatus, aut beneficium Ecclesiasticum obtinens*. Tandem Parentes. Consul. P. Ferraris V. Baptismus art. VII. n. 34. et seq., ubi satis de hac materia pertractat.

(1) Quoad vero hoc ultimum Patrinorum officium, inquit S. Thomas III. P. q. 67. art. 8. in c. *Quod pueri ubi nutriuntur inter Catholicos Christianos, Patrini satis possunt ab hac cura excusari, praesumendo quod a suis parentibus diligenter instruantur. Si tamen quocumque modo sentirent contrarium, tenerentur saecundum suum modum, saluti spiritualium filiorum curam impendere.*

sive masculus sit, sive foemina, sive infans, sive adultus (1).

Q. *Si Mulier ex viro suo concipiens, parit monstrum, est ne baptizandum?*

R. Si monstrum, humanam speciem nullatenus praesefert, non est baptizandum. Si dubitatur sit ne homo, vel bellua, et est baptizandum sub conditione. Si vero, humanam speciem praesefert, licet deformiter, et tunc est baptizandum. Hoc tamen pacto, quod si monstrum habet duo capita distincta, et perfecta in uno corpore, duplex Baptismus administrari debet, unus in uno capite, alter in alio. Si vero habet unum caput perfectum, et duo pectora distincta, tunc baptizandum est caput illius absolute, cum constet informatum esse anima rationali; in alia vero parte dubia, administrandus est Baptismus sub conditione (2).

Q. *Administratur ne licite, et valide Baptismus infantibus?*

R. Affirmative; et est de Fide (3).

---

(1) Ita ex communi Ecclesiae praxi; et colligitur ex illo Christi Domini apud Matth. Cap. XXVIII. v. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*, in quo nulla fit exceptio personarum.

(2) Consul. Cuniliati de Baptismo §. VI. n. 10. Ubi ad rem affert verba D. Thomae a S. Carlo Borromeo in sua Instruct. de Baptismo usurpata. Ferraris V. Baptismus Art. V.

(3) Ita enim statutum legitur in Concilio Tridentino, Sess: VII. Can. 13. *Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo, inter fideles computandos non esse, ac propterea cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos, aut praestare omitti eorum baptisma, quam eos, non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiae; anathema sit.*

Q. *Possunt ne parentes, licite differre Baptismi collationem suis infantibus?*

R. Si adest necessitas, et nullum est periculum vitae in infante, tunc possunt; si vero nulla adest necessitas, et tunc non possunt, et mortaliter peccant contra legem charitatis, et contra Ecclesiae consuetudinem.

Q. *Quot a nativitate dies possunt parentes, absque gravi culpa, filiorum Baptismum differre?*

R. Variant inter se Doctores. Sunt qui dicunt, sublato mortis periculo, usque ad mensem, majoris solemnitatis causa, posse differre; alii probabilius tenent, differre posse usque ad octavum, vel duodecimum diem (1).

Q. *Ut infantibus valeat Baptismus; requiritur ne parentum consensus?*

R. Negative. Non enim scriptum est, ait S. Augustinus (2): *Nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate; sed nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto.*

Q. *Licet ne filios Infidelium baptizare, invitis parentibus?*

R: In mortis periculo licet, secus non licet (3), etiamsi degant in ditionibus Principum Christianorum.

Q. *Filii parentum mancipiorum infidelium possunt ne licite baptizari?*

---

(1) Addit tamen Concina *De Baptismo* Cap. XI. n. 19. « Negotium est summi momenti, idcirco summa » diligentia curare parentes debent, ut quam primum » fieri potest, infantes baptizentur ».

(2) Epist. 23. ad Bonif.

(3) Id enim justis de causis prohibet Ecclesia. Inter alias, inquit Angelicus Doctor 2. 2. q. 10. art. 12. quia *esset etiam periculosum taliter filios Infidelium baptizare, quia de facili ad infidelitatem redirent propter naturalem affectionem ad parentes.*

R. Si illorum domini sunt Christiani, licite possunt; Nam si domini habent jus in mancipia, itaut possint uti, aliis vendere, et donare, multo magis possunt, ut ipsorum filiis Baptismus conferatur, eo vel maxime, quia hoc modo saluti illorum spirituali consulunt.

Q. *Si unus tantum ex parentibus Infidelibus consentit ut filio administretur Baptismus, potest ne illi licite administrari?*

R. Affirmative. Nam praeferenda est voluntas justa injustae; Jam vero justior est voluntas consentientis, utpote favoribilior Christianae Fidei, et infantis saluti; Ergo etc.

Q. *Quid requiritur in adulto, ut valide Baptismum recipiat?*

R. Requiritur 1. *Fides* (1); 2. *Spes veniae* (2). 3. *Initialis amor Dei* (3); 4. *Dolor de peccatis actualibus* (4); et 5. *Propositum efficax servandi omnia mandata, et christiane vivendi* (5).

Q. *Quot sunt Baptismi effectus?*

R. Sunt tres; nempe *gratia sanctificans*, cum

---

(1) Ait enim Christus Dominus Marc. 18: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit salvus erit*. Prius ergo quis debet credere, et postea baptizari.

(2) Ut enim remittantur peccata, spes omnino requiritur. Unde Christus apud Matth. Cap. IX. v. 2 dixit Paralitico: *Confide fili: remittuntur tibi peccata tua.*

(3) Sine enim initiali amore Dei, vita dari non potest, cum dicat S. Joannes Epist. 1. Cap. 3. *v.* 14. *Qui non diligit manet in morte.*

(4) Actorum enim Cap. II. v. 38 legitur: *Agite poenitentiam, et baptizetur unusquisque vestrum.*

(5) Apud Mattheum namque Cap. ultimo, ait, Christus; *Euntes docete omnes gentes, baptizantes, ... docentes eos servare quaecumque mandavi vobis.*

virtutibus infusis; 2. *character*; et 3. si non adest obex, *ablatio omnis culpae, et poenae* (1) culpis debitae.

CAPUT V.

De Sacramento Confirmationis.

Q. *Quid est Confirmatio?*

R. *Confirmatio est Novae Legis Sacramentum a Christo Domino institutum, quo baptizatis, per orationem, et manuum impositionem Episcopi, datur Spiritus Sanctus ad fortiter Christi Fidem confitendam.*

Q. *Quotuplex est materia adaequata Sacramenti Confirmationis?*

R. Duplex; nempe *manuum impositio*; et *Chrismatis unctio* (2).

Q. *Quotuplex est forma hujus Sacramenti?*

R. Etiam duplex. Et quidem 1. est Oratio quam recitat Episcopus dum manus imponit super confirmandum; secunda, uti definitum est in Concilio Florentino, Decreto Eugenii IV. ad Armenos, sunt verba

---

(1) Ita ex Concilio Florentino in Decreto ad Armenos, ubi dicitur: *Sacramenti Baptismi effectus est remissio omnis culpae originalis, et actualis, omnis quoque poenae.*

(2) Quoad manuum impositionem, nulli dubium est, quod sit necessaria. Legitur enim de Apostolis Actorum Cap. VIII. *Tunc imponebant super eos manus et accipiebant Spiritum Sanctum.* Quoad vero sacram unctionem, clara sunt Patrum testimonia, inter quos audiatur S. Gregorius Magnus in Sacramentario, in quo ait: *Episcopus tincto pollice in Chrismate facit crucem in fronte.* Consul. P. Concina de Confirm. Cap. II. n. IV.

quae profert Episcopus dum facit unctionem Sacri Chrismatis in fronte confirmandi, dicens.: *Signo te signo Crucis, et confirmo te Chrismate salutis. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti* (1).

Q. *Confirmatio est ne veri nominis Sacramentum a Christo Domino institutum?*

R. Affirmative, uti constat ex supra laudato Concilio Tridentino (2).

Q. *Quando Christus hoc Sacramentum instituit?*

R. Ex Scriptura, atque Traditione nihil certi statui potest; adeoque, sententia Benedicti XIV (3), supervacaneum est id perscrutari.

Q. *Quisnam est Sacramenti Confirmationis Minister?*

R. Minister ordinarius est solus Episcopus (4),

---

(1) Ita communiter Doctores. Audiatur inter alios Ecclesiae Patres S. Cyprianus Epist. 73. quae est ad Jubajanum. *Qui in Ecclesia baptizantur, Praepositis Ecclesiae offeruntur, ut per nostram orationem, et manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur.*

(2) Verum est, non defuisse Novatores, qui effutierint oppositum: sicuti Theologos non paucos, qui dixerint, hoc Sacramentum non fuisse neque a Christo, neque ab Apostolis institutum, sed processu temporis in quodam Concilio. *Sed hoc non potest esse*, ait S. Thomas III. P. q. 72. art. 1. ad 1. quia instituere novum Sacramentum pertinet ad potestatem excellentiae quae competit soli Christo.

(3) *Instit. Eccl.* 6. §. 5.

(4) Ita de fide a Concilio Tridentino legitur statutum Sess. VII. Can. 3. de Confirm. *Si quis dixerit Sanctae Confirmationis ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, anathema sit.*

extraordinarius vero, et ex commissione Summi Pontificis, est etiam simplex Sacerdos (1).

Q. *Quinam est Confirmationis subjectum?*

R. Omnis, et solus Baptizatus, sive masculus sit, sit foemina.

Q. *In qua aetate obligatur quis ad hoc Sacramentum suscipiendum?*

R. Circa hoc nulla est Lex, quae universim obligat. Tamen *Convenientius*, *et utilius esse*, insinuatur in Concilio Coloniensi (2), *si infans ut confirmetur, supra septennium aetatis annum progressus fuerit, ut ea, quae aguntur intelligat.*

---

(1) Unde Eugenius IV. in Concilio Florentino, loc. sup. cit. inquit: *Legitur tamen, aliquando per Apostolicae Sedis dispensationem, et urgente admodum caussa, simplicem Sacerdotem, Chrismate per Episcopum confecto, hoc Sacramentum Confismationis administrasse.* « Et talem facultatem concesserunt etiam, *sequitur P. Ferraris V. Confirmatio art. II. n.* 5. » » alii Summi Pontifices variis Religiosis, ut Innocen- » tius IV. Patribus Praedicatoribus; Joannes XXII. et » Leo X. Fratribus Minoribus pro India, teste Ro- » driquez in suo Bullario Regul. in Bulla Leonis X. » Gregorius XIII. Patribus Societatis Jesu, ut testa- » tur Suarez. Innocentius XIII. Patri Guardiano S. » Sepulchri Ordinis Min. de Observantia, Const. in- » cip. *Cum ad infrascriptam*. Et ipsi Guardiano ean- » dem facultatem concessit etiam Benedictus XIV. Con- » st. incip. *Cum ad infrascriptam*, et alia incip. *De-* » *mandatam* §. 14 et aliis Terris Infidelium remotis- » simis a Sede Apostolica, ubi Episcoporum Catholico- » rum copia non adest ». Videatur hic etiam Concina de Confirmat. Cap. IV. §. 10. q. 2.

(2) Anni 1536. Stante autem periculo vitae, aut alia gravi, et urgente necessitate, etiam septemnio minoribus, Ecclesia Latina, Confirmationem, conferre solet.

Q. *Quaenam dispositiones requiruntur in adultis confirmandis?*

R. Requiritur status gratiae; quod nempe si sint sibi conscii gravis culpae, prius rite confiteantur, vel, si id actu non possint, habeant saltem contritionem (1).

Q. *Est ne necessarium Confirmationis Sacramentum?*

R. Est necessarium non necessitate medii, sed praecepti tum Divini, cum Ecclesiastici. Unde graviter peccare dicendi sunt, qui vel contemnunt, vel diutius negligunt hujus Sacramenti susceptionem; maxime si infidelium persecutio, vel tentationum vexatio, id requirat (2).

Q. *Quando obligat Confirmationis praeceptum?*

R. Tale praeceptum quatenus Divinum est, obligat tempore persecutionis, vel gravioris tentationis contra fidem (3), maxime in periculo mortis (4).

---

(1) Ita ex Pontificali Romano. Consul. Conci. loc. cit. Cap. V. §. IV. q. IV.

(2) Et sane quod sit Jure Divino praeceptum, patet ex verbis Actorum Cap. 1. *Praecepit eis, ab Hierosolimis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris*. Quod autem sit juris etiam Ecclesiastici, patet ex Synodo Laodiceno Can. 48. Concilio Mediolanensi IV. etc. Unde Benedictus XIV. In Institut. Eccles. ait: *Neque Parochi, neque parentes, nec qui sunt loco parentum sunt eximendi a laethali culpa, si non instant ut subiecti sui Parochiani, et quos habent subjecti, Confirmationem ab Episcopo recipiant.*

(3) Quanto namque quis fortitudine, et majori gratia indiget, tanto magis, ad hoc Sacramentum suscipiendum obligatur; Atqui tempore persecutionis ad fidem profitendam, atque ad supplicia, et mortem pro Christo perferendam, majori virtute, et gratia opus habet; Ergo etc.

(4) In Concilio enim Parisiense VI. lib. 1. Ca-

quatenus vero est Ecclesiasticum, obligat 1. cum Episcopus dare paratus est, et baptizatus nullam habet rationabilem causam differendi (1); 2. quando quis prima Tonsura initiandus est (2).

Q. *Quot sunt Confirmationis effectus?*

R. Tres; nempe 1. *Gratia sanctificans*, non quidem prima per se, quia haec propter susceptum Baptisma, jam supponitur recepta a confirmando, sed secunda (3); 2. *Character* spiritualis indelebilis, qui in anima imprimitur (4); et 3. *cognatio spiritualis* (5).

Q. *Requiritur ne Patrinus in Confirmatione?*

R. Affirmative. Is autem nonnisi unus necessarius est; qui tamen debet esse confirmatus; nec potest esse idem (extra casum necessitatis), ac ille qui fuit Patrinus in Baptismo (6).

---

none 33. legitur: *Infirmis, et morte periclitantibus sicut Baptismatis gratia succurrendum est; ita incunctanter donum Spiritus Sancti est tradendum.*

(1) Uti supra ex Instit. Bened. XIV.

(2) Ita ex Concilio Trid. *Sess. XXIII. Can.* 4. *de reform. Prima Tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint.*

(3) Nam Actorum Capite 8. legitur: *Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.* Si ergo Confirmatione confertur Spiritus Sanctus, proculdubio gratia sanctificans impertitur. Idipsum coufirmat Synodus Florentina in Decreto unionis, dicens: *Effectus autem hujus Sacramenti est, quia in eo datur Spiritus Sonctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentechostes, ut Christianus audacter Christi confiteatur nomen.*

(4) Ita ex Concil. Trid. Sess. VII. Can. 7.

(5) Cap. Si quis filiastrum 12. Caus. 30.

(6) Ita communiter Doctores. Consul. P. Ferraris V. Baptismus art. 3. n. 9. et seq. Concina Dissert. II. de Confirmatione Cap. 8. n. 3. q. 2.

TRACTATUS IV.

De Sacramento Eucharistiae.

Quamvis Sacramenta omnia a Jesu Christo Servatore nostro instituta, immensam ipsius erga nos benignitatem, atque amorem ostendant, illud tamen, quo suum Corpus, et Sanguinem, ad manducandum et bibendum praebet, ejus infinitam liberalitatem omnino demonstrat. *Hoc profecto,* ait S. Ephrem Syrus (1) *omnem excedit admirationem, omnem mentem, omnemque sermonem, quod fecit nobis Unigenitus Filius, Christus Salvator noster. . . . manducandum, atque bibendum praestitit nobis carne vestitis, Corpus videlicet suum, ac Sanguinem.* Unde tanti Sacramenti praestantiam admirans S. Augustinus (2), in haec verba prorupit: *Dicere audeo, quod Deus cum sit Omnipotens plus dare non potuit; cum sit sapientissimus, plus dare nescivit, cum sit ditissimus plus dare non habuit.* De hoc ergo Eucharistiae Sacramento, in praesenti Tractatu agentes, quae tantum Tyroni Theologo scitu necessaria videntur, exponemus, atque dilucide explicabimus. Unde sit

---

(1) *Lib. de Natura Dei minime perscrutanda.*
(2) *Tract. 84 in Joann.*

CAPUT I.

De Sacramenti Eucharistiae notione, ejusque Materia, et Forma.

Q. *Quid est Eucharistia?*

R. Est Sacramentum Corporis et Sanguinis Jesu Christi, sub speciebus panis, et vini, a Sacerdote consecrati (1).

Q. *Quaenam est materia necessaria hujus Sacramenti?*

R. Panis triticeus, hoc est ex frumenti farina, et aqua naturali confectus, atque igne coctus, vel assus, in sua specie incorruptus, et vinum de vite (2)

---

(1) Hoc Sacramentum variis nominibus ab Ecclesiae Patribus solet appellari; praesertim vero dicitur *Eucharistia*, *Communio*, et *Viaticum*. Dicitur Eucharistia a Graecis, quod vocabulum latine significat *gratiarum actionem; pro eo*, ait Iustinus Martyr Apologia 2., quod *nos donis suis hisce dignatus sit*, *prolixe exequimur.* Dicitur Communio, quia omnes nos fideles in eadem mensa communicamus, ejusdemque cibi participes sumus, quo Ecclesiae unitas designatur. Dicitnr vero Viaticum, quia fideles ex hoc Mundo ad Caelestem Patriam discessuri, hoc Divino Viatico reficiuntur. Consul. D. Thomas 3. P. q. 73. art. 4. Concina Lib. III. de Euch. Diss. 1. Cap. 1. n. 1. et seq.

(2) Hanc enim esse hujus Sacramenti materiam, clare ostendit Christus in ejus institutione. Legitur enim apud S. Matthaeum Cap. 26. v. 26. *Accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis*, et ait: *Accipite, et comedite: hoc est Corpus meum*; et paulo post: *Accipiens Calicem. . . dicens : . . Hic est enim sanguis meus . . . dico autem vobis non bibam amodo de hoc genimine vitis* etc. Quare Ecclesia constanter in conficienda Eucharistia, talem materiam adhi-

Q. *Panis ex siligine confectus, est nec materia sufficiens hujus Sacramenti?*

R. Si siligo accipitur pro genere frumenti candidi, et selecti, propter quod *siligo* dictum est, uti accipit Plinius (1); et tunc absque dubio est materia sufficiens; si vero siligo accipitur pro secala, vulgo *segala*, et tunc non est materia sufficiens.

Q. *Hae duae materiae debent ne necessario simul consecrari ad hoc Sacramentum conficiendum?*

R. Debent *per se* ambae consecrari, ita ut numquam licite possit consecrari una absque altera. Christus namque Dominus praecepit, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* Jam vero Christus utramque materiam consecravit; Ergo etc.

Q. *Cur dixisti* per se *debent ambae materiae consecrari?*

R. Quia aliquando, per accidens, licitum est. Veluti si Sacerdos consecrata hostia, timens imminentem Templi ruinam, aut hostium incursionem aufugeret, quin consecrasset vinum.

Q. *Si quis tamen unicam materiam, et non aliam consecraret, esset ne valida consecratio?*

R. Esset valida; Nam unius materiae consecratio, a consecratione alterius non dependet, et statim ac Sacerdos cum debitis conditionibus verba consecrationis hostiae protulit, hostia jam est consecrata, et adoratur.

Q. *Posset ne aliquando esse etiam licita?*

R. Nequaquam. Cum namque consecratio sub utraque specie sit de Jure Divino rigoroso, numquam

---

buit. Unde Eugenius IV. de hoc Sacramento loquens in Decreto ad Armenos, inquit: *Tertium est Eucharistiae Sacramentum, cujus materia est panis triticeus, et vinum de vite.*

(1) Lib. XVIII. C. VIII.

est licitum, quaecumque sit necessitas, unicam tantum speciem consecrare; ita ut nequidem Summus Pontifex posset tale Divinum praeceptum dispensare, aut interpretari.

Q. *Si panis triticeus habuit admixtum aliquid alterius generis, est ne apta materia hujus Sacramenti?*

R. Si admixtio alterius generis est talis quantitatis, itaut panis non amplius dici possit triticeus, non est apta materia (1).

Q. *In Ecclesia Latina, ut panis consecrandus sit licita Eucharistiae materia, qualis esse debet?*

R. Debet esse azymus, hoc est sine fermento (2), circularis figurae, integer, nitidus, et ex puro frumento confectus.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur in vino consecrando?*

R. De necessitate requiruntur hae conditiones; 1. ut vinum sit de vite, non de alio quocumque plantarum fructu, non corruptum (3); et quod sit potabile (4). Ad decentiam vero, ut supra dictum est, exigitur vinum optimae qualitatis, purum, non turbidum,

---

(1) Ita in Rubr. Miss. Rom. Tit. 3. n. 1. *Si panis non sit triticeus, vel si admixtus sit granis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus, vel sit alioqui corruptus, non conficitur Sacramentum.*

(2) Ita definitum est in Concilio Florentino Sed pro hac re consul. P. Coneina loco cit. Cap. III. n. 1. et seq. ubi plura.

(3) Nam vinum quod jam est corruptum, in communi hominum extimatione, et morali consideratione non habet amplius vini speciem, sed aceti etc.

(4) Calicis enim materia, per modum potus fuit a Christo designata; dixit enim Matth. 26. v. 27. *Bibite ex hoc omnes.*

nec mustum (1), cui, ex praecepto Ecclesiae, ante consecrationem, aqua modicissima, admisceri debet (2).

Q. *In quanam quantitate tum panis, cum vini materia valide, et licite consecrari potest?*

R. Quoad validitatem, nulla est, et praecisa quantitas sive a Christo, sive ab Ecclesia determinata; hinc qaueeumque quantitas sive panis, sive vini; magna sit, vel parva, dummodo sit moraliter praesens sacerdoti, et in individuo per intentionem determinata, valide consecrari potest. Quoad liciditatem vero, in ea quantitate consecratio utriusque materiae fieri debet, quae opportuno tempore, absumi posse, prudenter judicatur.

Q. *In quanam quantitate aqua naturalis vino misceri potest?*

R. In quantitate modicissima; ita quidem ut non excedat tertiam partem vini consecrandi, cui miscetur.

Q. *Quando fieri debet hujusmodi aquae permixtio?*

R. Fieri debet sub gravi, tempore Missae ante Calicis oblationem, et praecipue quando infunditur vinum in calice. Quod si quis per oblivionem non fecerit, et hoc advertit ante consecrationem calicis, faciat; si vero post, nullo modo apponat (3).

Q. *Clericus, incaepta Missa, posuit super corpo-*

---

(1) In casu tamen necessitatis, licet mustum consecrare.

(2) Ita ex Tridentina Synodo Sess. 22. C. 7. in qua habetur: *Monet S. Synodus, praeceptum esse ab Ecclesia Saoerdotibus, ut aquam vino in calice offerenda miscerent; eo quod Christus Dominus ita fecisse credatur; tum etiam, quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit.*

(3) Rub. Miss. Roman. *de defectibus tit. IV. de def. n. 7.*

rale Pixidem plenam particulis, vidente, et approbante Sacerdote celebrante. Interim Sacerdos peragit consecrationem, nihil cogitans de Pixide cum particulis; quid tunc est dicendum?

R. Particulae in Pixide contentae fuerunt consecratae, et quidem virtute prioris intentionis non retractatae.

Q. *Quid requiritur ut materia dicatur moraliter praesens Sacerdoti consecranti?*

R. Requiritur 1. Ut celebrans sciat materiam » ibi esse; 2. Ut materia, licet actu non percipiatur » aliquo sensu; hoc est non videatur, non tangatur, » sit tamen in loco, ubi possit a consecrante sensu » percipi, et demonstrari, vel in se, vel in alio, ut » in suo toto, vel proximo continente, vel in vase » ad illam continendam destinato; 3. Ut sit propin» qua tantum, ut juxta prudentum extimationem, » esse coram Sacerdote, dici possit.

Q. *Sacerdos qui dubitat num vere consecràverit formulas, seu particulas, quid agere debet?*

R. Vel debet eas sumere post sanguinem, vel in alia Missa eas consecrare sub conditione.

Q. *Quid si dubitat de valore consecrationis alterius materiae sacrificii?*

R. Tunc, sub conditione repetat formam supra illam materiam. Quod si dubium sit de valore materiae, tunc aliam certam consecret materiam; et materiam dubiam sumat post communionem.

Q. *Quotuplex est forma hujus Sacramenti?*

R. Duplex, prout duplex est ejus materia. Prima correspondens primae materiae, nempe pani, in Ecclesia Latina est haec: *Hoc est enim Corpus meum.* Secunda, secundae materiae, haec alia: *Hic est enim Calix Sanguinis mei, Novi, et aeterni Testamenti, Mysterium fidei, qui pro vobis, et pro multes effundetur in remissionem peccatorum.*

Q. *Sunt ne omnia dicta verba essentialia for-*

mae; an vero possunt aliqua omitti absque peccato?

R. In consecratione panis, haec sola verba sufficiunt: *Hoc est Corpus meum*: In consecratione autem vini, haec alia: *Hic est Sanguis meus*; vel quod in eodem recidit: *Hic est Calix sanguinis mei.* Hoc autem non obstante, unusquisque Sacerdos consecrans, debet integram recitare formam, prout in Canone legitur; et quidem sub gravi; est enim res magni momenti, ex usu, et Ecclesiae praecepto firmata.

Q. *Sacerdos ex persona Christi, an hystorice profert verba consecrationis?*

R. Ex persona Christi (1).

Q. *Quomodo pronuntianda sunt consecrationis verba?*

R. Pronuntianda sunt distincte, reverenter, continua serie, et modo naturali.

CAPUT II.

De Ministro, et Subjecto Eucharistiae.

Q. *Quotuplex est Minister Eucharistiae?*

R. Duplex, nempe *Consecrationis*, et *distributionis* Minister Consecrationis est solus Sacerdos; Mi-

---

(1) Uti statuit Tridentina Synodus Sess. 22 Can. 1. et 2: *Si quis dixerit, illis verbis. Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent corpus, et Sanguinem suum, anathema sit.* Hinc ajebat Chrysostomus Hom. 83. in Matth. *Quid nostra consecratio est, nisi illius repetitio, quam Christus peregi?* Vid. S. Thomas III. P. q. 82. art. 2.

nister vero ordinarius dispensationis est pariter solus Sacerdos (1); extraordinarius vero, Diaconus (2).

Q. *Licet ne Sacerdoti communicare seipsum, si Missam non celebret?*

R. Licet, dummodo non sit alius sacerdos, qui eum communicet, et absit scandalum.

Q. *Potest ne idipsum Diaconus?*

R. Non potest (3).

Q. *Quid requiritur in Ministro, ut licite Eucharistiam administret?*

R. Requiritur status gratiae (4); et ut habeat jurisdictionem sive ordinariam, sive delegatam (5).

Q. *Quot peccata committit Minister malus, qui pluribus Eucharistiam dispensat?*

---

(1) Ita ex Concilio Tridentino Sess. XIII. Cap. 8. *Semper Ecclesiae Dei mos fuit, ut Laici a Sacerdotibus communionem acciperent, Sacerdotes autem celebrantes seipsos communicent.*

(2) In Concilio enim Carthaginensi IV. Can. 38. fuit statutum, ut Diaconus, *praesente Presbytero Eucharistiam Populo si necessitas cogat jussus eroget.*

(3) Ex Concilio enim Nicaeno Anni 325. Can. 18. Diaconis vetitum est Eucharistiam accipere, nisi *Episcopo, vel Praesbytero dante.*

(4) Et sane, si in quolibet Sacramento licite administrando requiritur in Ministro status gratiae, multo magis requiritur in administratione Eucharistiae, in qua Corpus Jesu Christi, fidelibus ad manducandum praebetur.

(5) Nam Pastorum est, vel eorum qui a Pastoribus delegantur, oves pascere hoc praesertim caelesti convivio; et hoc quidem jure ordinario. Caeterum, si quis in absentia Parochi Viaticum administraret, rationabiliter praesumendo, Parochum id adprobaturum, licite id faceret. Sicuti etiam licite administrat Eucharistiam fidelibus ob solum devotionem, qui licentiam a Parocho habuit Missam celebrandi.

R. Sunt qui dicunt, tot peccata committere quot sunt personae, quibus Eucharistiam ministrat; Alii vero sustinent, unum tantum mortale peccatum committere; quod probabilius videtur; cum moraliter non sit, nisi una distributio, et una indigna ministratio (1).

Q. *Quid servandum est quoad ritum administrandi Eucharistiam* ?

R. Primo quod Minister Eucharistiam ministret sub specie panis tantum (2); 2. Extra Missam non communicet absque super pelliceo et stola, excepta tamen necessitate, ut tempore pestis. 3. Non tradat alicui hostiam grandiorem, vel plures simul formulas (3); neque, extra casum necessitatis, scindat hostiam Sacrificii, ut laico porrigat communionem; 4. formulam non porrigat nisi indice, et pollice; 5. Si inter administrandum, formula in terram cadat, servet Rubricas; si vero in sinum mulieris decidat, permittere debet, ut ipsa sua manu, formulam abstrahat, et in Pixide reponat; quod idem faciendum si Monialem communicando, formula intra clausuram caeciderit; 6. Serveta Rubricis praescriptum cum iis, qui Eucharistiam evomerent (4); 7. Non sine justa causa, mentali oblatione, formulas offerat post oblationem majoris hostiae; 8. sumat fragmenta sive magna, sive parva, quae forte advertat post sumptionem ablutionis, etiamsi jam ab altari recesserit, sed adhuc Sa-

---

(1) Busembau *Lib. VI. Tract. I. Cap. II. d.*, 2. *n.* 6.

(2) Ita ex Concilio Constantiensi Anno 1414 Sess. 15. et ex consuetudine a Tridentino approbata Sess. XXI. Cap. 2.

(3) Ex Decreto Sacrae Congreg. die 11. febr. 1679.

(4) Tit. IX. n. 7. et 14.

cris vestibus indutus; quia hac hostiarum reliquiae ad idem sacrificium pertinent.

Q. *Quo tempore administrari potest Eucharistia?*

R. Omnibus diebus, excepto tempore Interdicti, et diebus feriae VI. Parasceves, et Sabbati Sancti (1); modo tamen non agatur de Viatico, graviter decumbentibus administrando.

Q. *Quanam hora licite potest administrari Eucharistia?*

B. Si loquimur de administranda Eucharistia infirmis pro viatico, et in quacumque hora licet; si vero loquimur de administratione Eucharistiae sanis, et tunc licite in quacumque hora administrari potest ante meridiem, non vero post meridiem; neque in prima Missa, quae canitur in nocte Nativitatis Domini (2).

Q. *Quinam sunt subjecti, sive capaces suscipiendi Eucharistiam?*

R. Omnes homines viatores baptizati, cujuscumque sexus.

Q. *Infantibus potest ne administrari Eucharistia?*

R. Quidquid sit de antiqua Ecclesiae tum Orientalis, cum Occidentalis consuetudine in ministranda infantibus Eucharistia una cum Baptismate, hodie certum est, in Ecclesia Latina non admitti debere ad Eucharistiae sumptionem, nisi tantum illi, qui ad annos discretionis pervenerint.

Q. *Potest ne administrari Eucharistia mutis, et surdis a nativitate?*

---

(1) Vid. Bened. XIV. *de Sacrif. Missae Sect.* 2. Cap. VI. §. 3.

(2) Ex Decreto S. Cong. apud Benedictum XIV. de *Sacrificio Missae*, loco sup. laud.

R. Si in illis deprehenditur aliqua cognitio hujus Sacramenti, et peccata sua nutibus exprimant, potest illis Eucharistia administrari; praesertim tempore Paschali, et in articulo mortis; secus vero non, cum sint indispositi.

Q. *Potest ne administrari Energumenis, atque amentibus?*

R. Quoad Energumenos, qui nempe a Daemone obsidentur, et vexantur, si sunt dispositi, et periculum non est alicujus irreverentiae in illius sumptione, potest illi administrari Eucharistia in omni tempore (1); secus vero non. Quoad amentes vero, et phreneticos, si ipsi sunt perpetuo tales, nequit illis Eucharistia ministrari; si vero habeant lucida intervalla, et periculum non sit vomitus, indecentiae, aut irrverentiae, potest.

Q. *Quid dicendum de semifatuis, et debilem usum rationis habentibus?*

R. Si ipsi valent Eucharisticum cibum a prophano cibo distinguere, atque reverenter, et devote illum expostulent, potest eis administrari; secus vero non.

Q. *Quaenam dispositiones ex parte animae requiruntur ad Eucharistiam digne suscipiendam?*

R. Qui vult digne Eucharistiam suscipere, debet esse immunis ab omni peccato mortali; alias indigne manducaret, et gravissimum sacrilegium committeret; eo quia, Apostoli testimonio (2), reus foret corporis et sanguinis Domini; et hinc aeternae damnationis.

---

(1) Ita communiter Doctores. Olim vero, uti patet ex Concilio Illiberitano Can. 29. Energumenis diuturne vexatis, Eucharistia denegabatur; et Can. 37, fuit statutum, ut Energumenis solum in extremo vitae periculo administraretur.

(2) Ad Ephes. I. Cap. XI. v. 27. 29.

Q. *Quid agere debet, qui vult suscipere Eucharistiam, et est sibi conscius peccati mortalis?*

R. Si habet copiam Confessarii, debet necessario peccata mortalia confiteri (1), idque ex praecepto Divino, non humano tantum (2).

Q. *Quando verificatur, alicui deesse copiam Confessarii?*

R. Quando adest urgens necessitas communicandi, vel celebrandi, et Confessarius vel haberi non possit, sine gravi incommodo (3), vel si adest, perinde est ac si non adesset.

Q. *Ut autem in necessitate valeat Minister, etsi conscius peccati mortalis, celebrare, vel communicare, debet ne praemittere contritionis actum?*

R. Affirmative; Ita communiter Doctores; et statutum legitur in Synodo Nemausensi (4).

---

(1) Ita statutum est a Concilio Tridentino Sess. XIII. Can. II. his verbis: *Statuit, atque declarat S. Synodus, illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario praemittendam esse confessionem Sacramentalem.*

(2) Apostolus enim laud. superius loco, id satis ostendit cum dicit: *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat. Quid enim est hoc loco se probare,* ait S. Greg. Papa in Lib. 1. Regum Cap. 1. *nisi execrata peccatorum nequitia, se probatum ad Dominicam mensam et panem exhibere?*

(3) Veluti si debeat administrari Viaticum moribundo, vel Sacerdoti minitetur mors, nisi celebrat, dummodo tamen non adsit Religionis contemptus. Si absque scandalo, vel infamia communio, vel Missae celebratio omitti nequeat. Si Parochus debeat celebrare die festo, nec habeat, qui suas vices supplere possit.

(4) Anno 1284. celebrato, ubi tit. de celeb. Miss.

Q. *Ad quid tenetur qui Missam celebrat, vel communicat solum cum contritione, ob necessitatem?*

R. Tenetur ex Tridentino (1), quamprimum confiteri; hoc est, postquam celebraverit, statim ac habeat copiam confessarii, confiteatur (2), et diu non differat; idque non ex consilio, sed ex vero praecepto (3).

Q. *Si quis rite confessus, et absolutus, ante communionem recordatur alicujus peccati mortalis, inculpate omissi, tenetur ne antequam communicet, confiteri?*

R. Quidquid sit de opposita sententia, quae quidem a multis Doctoribus tenetur; cum communi tamen aliorum, dicendum est, teneri ad confessionem. Nam in prima confessione fuit a tali peccato indirecte absolutus, adeoque sub onere, quod si recordetur de omisso, debeat confiteri; et consequenter nequit communicari, nisi confiteatur.

Q. *Quid dicendum de illo, qui ex veniali negligentia distractus, Eucharistiam suscipit?*

---

haec habentur: *Si sacerdos contritionem non habeat, nec propositum confitendi, celebrare in his casibus non praesumat, quantumcumque scandalum, vel necessitatem videat imminere.*

(1) Cujus haec sunt verba Sess. XIII. can. 7. *Quod si necessitate urgente sacerdos absque praevia Confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.*

(2) Unde merito ab Alexandro VII. damnata fuit sequens propositio: *Illa particula quamprimum intelligitur cum sacerdos suo tempore confiteatur.*

(3) Et oppositum est ab eodem Alexandro VII. proscriptum, cum sequentem n. 38. propositionem damnavit, scilicet; *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium non praeceptum.*

R. Si talis distractio ex veniali negligentia, non est ex formali intentione quaesita, involvente contemptum tanti Sacramenti, et tunc, etsi forte gratiae habitualis augmentum recipiat, actualem tamen spiritualis refectionis dulcedinem non consequitur. Si vero hujusmodi negligentia venialis ex objecto, est ex formali intentione quaesita, involvente tanti Sacramenti contemptum, et tunc, non solum nullum ex susceptione Eucharistiae spiritualem fructum reportat, sed etiam gravem committit irreverentiam (1).

Q. *Quomodo quis accedere debet ad Eucharistiam suscipiendam?*

R. Viva Fide (2), firma Spe (3), ardenti Charitate (4).

Q. *Quid dicendum de usu Eucharistiae?*

R. Laudabilior est frequens Eucharistiae usus,

---

(1) Elem. Theol. Pract. de Euchar. C. I. P. IV.

(2) Eucharistia namque quia omnium miraculorum a Christo factorum maximum, et bonum, humanum captum excedens, Mysterium fidei ab Ecclesia dicitur. Qui ergo ad illam suscipiendam accedit, corde firmiter credere debet, se, sub speciebus modici panis, manducare verum Christi corpus.

(3) Cum enim Christus non rogatus, et Passioni proximus, hoc Sacramentum instituit, et seipsum manducandum dedit, quid amplius ipse negabit? Certe omnia donabit alia, quae expedient. Hinc firma spe praeditus quisque ad Sacram Mensam accedere debet.

(4) Et sane si Jesus Christus sola sua infinita charitate motus hoc Sacramentum instituit; atque ut hominibus intime uniretur et cum illis unum fieret; unde et Sacramentum amoris Eucharistia dicitur, qua charitate non oportet sit accensus, qui ad communicandum accedit? Hinc merito reprehendendi sunt illi, qui absque devotione, et pietate, mente secularibus curis, et cogitationibus hujus Mundi plena, ad communicandum accedunt.

quam rarior (1). Frequentissima tamen communio non est absolute ad salutem necessaria (2).

Q. *Ut quis frequenter, vel frequentissime cum fructu Eucharistiam sumat, sufficit non habere laethale peccatum?*

R. Non sufficit; quia, ut communiter docent Patres, accedendum est ad hoc Sacramentum suscipiendum cum magna devotione, ac reverentia, quod certe non verificatur in eo, qui solo peccato mortali caret (3).

Q. *Ad frequentem Eucharistiae susceptionem requiritur ne, tamquam necessaria dispositio, amor purissimus?*

R. Negative; et oppositum fuit ab Alexandro VIII. proscriptum (4).

---

(1) Si namque, ut infra dicetur, admirabiles sunt effectus quos Eucharistia producit, proculdubio laudabilior est frequens illius usus, quam rarior. Unde et de primis fidelibus, legitur Actorum II. v. 42. *Quod erant perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis.*

(2) Nullibi enim legitur ad salutem necessariam frequentissimam communionem. Aliunde si hoc esset, nullus eorum qui primis Ecclesiae Saeculis in Heremis vitam poenitentem agebant, et rarius communionem sumebant, salvatus fuisset, quod est falsissimum. Quare merito Innocentius III. in saepius laud. Decreto, sanxit, ut Episcopi, *et Parochi, seu Confessarii redarguant asserentes, communionem quotidianam esse de jure divino.*

(3) Hinc deducunt Doctores, arcendos esse ab Eucharistiae susceptione illos, qui licet mortale non habeant, affectu tamen ad venialia adhaerent, vel modicum Eucharistiae desiderium habent.

(4) Hic enim Pontifex hanc damnavit propositionem: *Similiter arcendi sunt a communione, quibus non-*

Q. *Potest ne permitti alicui quotidiana communio*,

R. Quoties quis est rite dispositus, atque optatum fructum ex Eucharistiae susceptione percipit, utique potest; secus vero non (1).

Q. *Datur ne aliqua regula pro frequenti communione?*

R. Plures a Patribus, et Doctoribus dantur circa hoc regulae; placet tamen excribere hic illam, quam dat Seraphicus Doctor (2): *Si quaeritur, utrum expediat frequentare Eucharistiam alicui; dicendum quod si quis videat se esse in statu Ecclesiae primitivae, laudandum est quotidie communicare; si autem in statu Ecclesiae finalis, utpote frigidum, et tardum, laudandum est quod raro, si autem in medio modo,*

---

dum inest amor Dei purissimus, et omnis mixtionis expers. Et sane si talis amor foret necessaria dispositio ad Eucharistiam, nullus posset, non dicam saepius ad Eucharistiam accedere, sed nequidem aliquando, quia in hac vita non datur vivere sine quacumque mixtione, sive peccato veniali. Nam teste Augustino *Lib. de Spiritu., et litera C. ult. Hoc praeceptum justitiae, quo jubemur diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente. . . . in illa vita implebimus, cum videbimus facie ad faciem.*

(1) Atque haec est mens S. Romanae Ecclesiae in Tridentina Synodo expressa, ubi Sess. XXII. Cap. 6. legitur: *Optaret Sancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior perveniret.* Et jam dixerat S. Ambrosius, uti patet ex Cap. Non iste 55. dist. 2. de consecratione: *Iste panis quotidianus est, accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit, sic vive, ut quotidie merearis accipere.*

(2) *In IV. dist. 12. q. 2. in resp. ad argum.*

modo debet se habere, et aliquando debet cessare ut addiscat revereri, aliquando accedere, ut inflammetur amore (1).

Q. *Requiruntur ne aliae dispositiones ex parte corporis in eo, qui vult Eucharistiam suscipere?*

R. Affirm., et praecipue sunt sequentes; nempe *Jejunium naturale*; abstinentia nempe ab omni re, etiam levissima (2), quae habet rationem cibi et potus, quae voluntarie per os sumitur, et in stomachum, in quo digeritur, trajicitur (3); idque a puncto mediae noctis usque ad Eucharistiae sumtionem; 2. *Exterior compositio* (4); et 3. *Corporis mundi-*

---

(1) Ut autem securius in hac materia procedatur, consulendum est Decretum Sac. Congreg. Conc. Tridentini 12. feb. 1679. ab Innocentio XI. expresse approbatum, quod incipit: *Cum ad aures*, etc. apud P. Luc. F. V. Eucharistia n. 41.

(2) Idque ex praecepto Ecclesiae, ut communiter docent Theologi; et patet ex illo S. Augustini apud Praeceptorem Angelicum P. III. q. 70, art. 8. *Placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, prius in os Christiani Corpus Dominicum intraret, quam caeteri cibi.*

(3) Hinc hujusmodi jejunium non frangunt, qui vel fructuum ossicula, vel filum sericum, aut laneum, vel aliquam metalli particulam, puta auri, ferri deglutiunt, etc. Neque illi qui per respirationem aliquod animalculum, puta culicem ex aere in fauces attrahunt; aut salivam, vel sanguinem, qui ex dentibus, vel capite in os defluit deglutiunt; nec etiam qui tabacho sive per nasum attrahendo, sive ejus fumo delectantur.

(4) Cum enim ad Caeleste Convivium fidelis accedit, debet se ad omnem humilitatem, modestiam, et devotionem componere; decentibus propterea vestibus indui; manibus ad pectus junctis, vel in modum Crucis complicatis, oculisque demissis ad Altare accedere.

ties (1).

Q. *Dantur ne Casus, in quibus a non jejunis sumi potest Eucharistia?*

R. Affirm.; scilicet in gravi necessitate, et quando per modum viatici ministratur infirmis.

Q. *Quinam sunt Eucharistiae effectus?*

R. Innumeri sunt, et quidem admirabiles Eucharistiae effectus, praecipui autem sequentes a Doctoribus recensentur; nempe 1. est *Gratiae augmentum* (2); 2. *Peccatorum venialium remissio, et a peccatis martalibus praeservatio* (3); 3. *Remissio paenae peccato debitae* (4); 4. *Intima cum Christo, et cum fratribus conjunctio* (5); 5. *Spirituale robur*

---

(1) Quare si quis habet aliquam in corpore maculam aut foeditatem visibilem, eam, ob decentiam prius abstergat. Similiter qui fluxum sanguinis patitur, vel actum conjugalem exercuit, decens est, ut pro illa vice, a Communione se abstineat.

(2) Ita Eugenius IV. in Decreto: *Quia per gratiam homo Christo incorporatur, et membris ejus unitur, consequens est, quod per hoc Sacramentum in sumentibus digne, augeatur gratia, omnemque effectum quem materialis cibus, et potus, quoad vitam agunt corporalem sustentando, augendo, reparando, et delectando Sacramentum hoc, quoad vitam operatur spiritualem.*

(3) Quare Sacramentum hoc a Tridentini Concilii Patribus vocatur *Anthidotum, quo liberamur a culpis quotidianis*, hoc est venialibus, *et a peccatis mortalibus praeservamur.*

(4) *Non quidem totius*, ait Angelicus Doctor P. III q. 79. art. 5., *sed secundum modum suae devotionis, et fervoris*. Unde majori, qua quisque potest, devotione, ac fervore, ad Eucharistiam accedere debet.

(5) Ita ex Concilio Florentino, in quo legitur: *Hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum.* Unde jam

adversus Daemonis tentationes; et Mundi illecebras (1); 6. *Spiritualis delectatio, et interna cordis dulcedo* (2); 7. *Sensuum et appetituum compressio* (3); 8. *Immortalitatis, et resurrectionis semen* (4); 9. *Perseverantia finalis* (5).

---

dixerat S. Cyrillus Hierosolimitanus Cathechesi Mystagog. Cap. 3. *Concorporei, et consanguinei efficimur quotiescumque eius Sanguinem bibimus, Corpusque in hoc Sacramento comedimus*. Sed clarius S. Joan. Damnascenus. Lib. 4. Cap. 14. *Hoc Sacramentum Christo nos copulat, atque ejus carnis, Deitatisque particepes efficit, nosque inter nos in eodem Christo conciliat, atque conjungit, et veluti unum corpus coagmentat.*

(1) Unde monet S. Cyprianus Epist. 54. ad Cornel. dicens: *Quos tutos esse contra adversarium volumus, munimento Dominicae saturitatis armemus.*

(2) Hoc enim Sacramento vera spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur, in Christo nempe, qui est fons omnis consolationis, pacis, et gaudii, quique consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus perfecti stare.

(3) Hinc ait S. Bernardus Serm. de Caena Domini: *Si quis non tam saepe, nec tam acerbos sentit iracundiae motus, invidiae, luxuriae, aut caeterorum hujusmodi, gratias agat Corpori, et Sanguini Christi; quoniam virtus Sacramenti operatur in illo.*

(4) Nam ait Christus ipse apud Joan. Cap. VI. v. 52. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum* Unde et a Patribus Nicaenis *Symbolum resurrectionis* vocatur; et a S. Ignatio *ad Eph. pharmacum immortalitatis.*

(5) Et sane, si Eucharistiae Sacramento liberamur a peccatis venialibus, et praeservamur a mortalibus; si robur nobis conceditur adversus Daemones, et Mundi illecebras, carnisque inordinatos affectus, proculdubio, qui illud digne sumit, in bono perseverantiam obtinet. Quare merito a Patribus Eucharistia *Sacrum peregri-*

CAPUT III.

De Sacrificio Missae.

Q. *Quibus nominibus appellatur Missae Sacrificium?*

R. Diversis nominibus; nempe 1. *Liturgia* (1); 2. *Synaxis* (2), 3. *Oblatio* (3); 4. *Collecta* (4); 5. tandem, vulgo *Missa* (5).

Q. *Quid et quotuplex est Sacrificium?*

R. 1. Sacrificium est oblatio externa rei sensibilis, legitime instituta, et a legitimo ministro facta Deo (6), per realem ejus immolationem; ad te-

---

nationis nostrae Viaticum vocatur, quo de hoc nequam saeculo pervenitur ad Caelestis Hierusalem consortium.

(1) Totum nempe illud Ministerium, quod in eo conficiendo impenditur.

(2) Hoc est fidelium conjunctio cum Christo. Sumptione quidem Eucharistiae, nos invicem unit in se Christus. Nam *istud Sacramentum,* quod in Missae sacrificio perficitur *est unitivum,* ait S. Bernardus Psal. 147. *quia omnes digne sumentes unit, et pacificat dum eos unum corpus facit in Christo.*

(3) Quia in peccatorum expiationem offertur.

(4) Hoc est fidelis populi congregatio ad sacra Mysteria peragenda.

(5) *A mittendo*, inquit Seraphicus Doctor in Exposit. Missae, *et repraesentat legationem inter homines, et Deum. Deus enim mittit filium suum Christum in Altari, et iterum mittit Ecclesia fidelis eumdem Christum ad Patrem, ut pro peccatoribus intercedat.*

(6) *Quis enim,* ait S. Augustinus Lib. X. de Civit. Dei Cap. 4. *Sacrificandum esse censuit, nisi ei, quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit.*

standum ejus supremum dominium super omnia, et praesertim in vitam, et in mortem (1).

R. 2. Sacrificium multiplex est. Et I. ratione materiae; aliud est *Cruentum*, quod cum sanguinis effusione perficitur; aliud vero *Incruentum*, quia in eo non fit sanguinis effusio. Et hoc quatruplex est; scilicet *Lautreuticum*, *Propitiatorium*, *Eucharisticum*, *et Impetratorium*. Primum est illud, quod Deo soli offertur, in protestationem illius supremae excellentiae, dominii, et Majestatis, nostraeque ab eo dependentiae, et subjectionis; eoque, soli Deo, latriae cultum exhibemus. Secundum est illud, quod Deo offertur, ut pro nobis peccatoribus propitius reddarur. Tertium est illud, quo Deo, pro acceptis beneficiis, gratias agimus. Quartum tandem est illud, quo dona, et beneficia a Deo impetramus.

Q. *Eucharistia est ne verum sacrificium, quod in Missa offertur?*

R. Affirmative; et est de fide (2). Imo est idem sacrificium, quod de seipso fecit Christus Dominus in ara Crucis, cum ex Apostolo (3); *Tradidit semetipsum pro nobis obstationem, et hostiam Deo in odorem suavitatis*; sola tamen offerendi ratione diversa, ut loquitur Tridentina Synodus (4).

---

(1) Vid. S. Thomas 2. 2. *q. 86. art. 3. ad 3.*

(2) In Concilio namque Tridentino Sess. XXII. Can. 1. ita legitur: *Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum et proprium Sacrificium . . anethema sit.*

(3) Ad Eph. Cap. V. v. 2.

(8) Sessione XXII. Cap. 2. Quare merito a Pio V. damnata fuit sequens Baji Propositio n. 45. *Sacrificium Missae non alia ratione est sacrificium, qua omne opus fit, et sancta societate homo Deo inhaeret.*

Q. *In quo essentia Sacrificii Missae consistit?*

R. In sola speciei consecratione consistit. « Nam » vi verborum consecrationis, quasi per gladium, san» guis a corpore mystice separatur, et Christus Do» minus, tamquam verus agnus, et victima sistitur » in Altari sub speciebus panis et vini, et in quo» dam statu mortis constituitur, Patrique offertur; » Adeoque etc. (1).

CAPUT IV.

De Ministro, et Subjecto Sacrificii Eucharistici.

Q. *Quid hic venit nomine Ministri?*

R. Ministri nomine hic venit non solum Sacerdos habens potestatem consacrandi, sed omnes illi etiam, qui aliquo modo ad Sacrificii oblationem concurrunt.

Q. *Quinam in Sacrificio Missae est primarius offerens?*

R. Est Christus Dominus, qui obtulit seipsum hostiam Deo in ara Crucis, et quotidie per manus sacerdotum continuo se offert. Ita est de fide statutum in Concilio Lateranense IV. (2)

---

(1) Quare utraque oblatio, tum scilicet, quae praecedit, cum quae sussequitur consecrationem; sicuti etiam fractio, commixtio, specierum distributio, de essentia Sacrificii non sunt. Quoad vero sacerdotis communionem, dicendum, illam ad integritatem solummodo sacrificii pertinere, non vero ad essentiam. Vid. Elem. Theol. Pract. de Euch. C. II. Quae autem hic fusius desiderantur, apud Auctores facile inveniuntur.

(2) Can. 1. his verbis: *In Ecclesia idem ipse sacerdos est, et Sacrificium Jesus Christus.*

Q. *Quinam alii sunt qui Sacrificium Missae, vere, et proprie offerunt.*

R. Soli Sacerdotes Sacro ordine insigniti (1).

Q. *Sacerdotes impii, atque scelesti perficiunt ne valide hoc Sacrificium?*

R. Affirmative. Nam, ut ait Angelicus Doctor (2): *Sacerdos consecrat hoc Sacramentum non virtute propria, sed sicut minister Christi, in cujus persona consecrat hoc Sacramentum. Non autem ex hoc ipso desinit aliquis minister esse Christi quod est malus.*

Q. *Quid dicendum de Sacerdotibus haereticis, Schismaticis, suspensis, excommunicatis, et degradatis?*

R. Dicendum, quod etiam ipsi valide Sacrificium perficiant, quia, ut inquit laudatus Doctor (3) potestatem Ordinis non amittunt.

Q. *Quid sentiendum de novis Sacerdotibus, qui simul cum Episcopo ordinante verba consecrationis proferunt?*

R. Ipsi una cum Episcopo consecrant; Unde *sive prius, sive posterius*, ut loquitur Innocentius III. *proferunt Sacerdotes* (verba consecrationis) *referri debeat eorum intentio ad instans prolationis Episcopi cui concelebrant.*

Q. *Fideles offerunt ne et ipsi sacrificium?*

R. Suo modo offerunt; unde et Sacerdos in ce-

---

(4) Ita ex Concilio Trid. in quo Sess. XXII. C. 2. legitur: *Si quis dixerit, illis verbis*: Hoc facite in meam commemorationem, *Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent Corpus, et Sanguinem suum, anathema sit.*

(5) *P. III. q. 82. art. 5.*

(6) *Eadem q. art. 7. ad 3.*

lebratione Missae inquit: *Orate fratres ut meum ac vestrum Sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem Omnipotentem.*

Q. *Quotuplici modo dicuntur fideles Missae Sacrificium offerre?*

R. Triplici modo; nempe 1. Quia offerunt per Sacerdotem tanquam per publicum ministrum, cujus sunt membra; 2. Procurando, ut Sacerdotes applicent pro seipsis Sacrificia; 3. Assistendo Sacrificio, et conjungendo se Sacerdoti sacrificanti, interiori charitatis affectu, consensu, et participatione ejusdem Sacrificii.

Q. *Quid hic intelligitur per Sacrificii subjectum?*

R. Per Sacrificii subjectum, hic, eos intelligimus, pro quibus Sacrificium offerri potest.

Q. *Potest ne pro omnibus quibuscumque hominibus in hac vita degentibus Sacrificium Missae offerri?*

R. Absolute loquendo offerri potest. Nam hoc Sacrificium, in substantia, idem est ac sacrificium, quod in ara Crucis oblatum fuit; adeoque sicut illud pro totius Mundi salute oblatum fuit, ita et istud pro omnibus offerri potest (1).

Q. *Potest ne offerri pro Paganis, Judaeis, atque Turcis?*

R. Dissident inter se Theologi. Verum probabilius videtur posse offerri, sed tantum per modum deprecationis, seu impetrationis, ut ad veram fidem convertantur (2).

---

(1) Atque id non obscure innuitur ex eo, quod Sacerdos in Calicis oblatione, dicat: *pro nostra, et totius Mundi salute.*

(2) Sane Apostolus id clare innuisse videtur I.

Q. *Potest ne offerri Sacrificium Missae pro Haereticis, Schismaticis, et Excommunicatis?*

R. Directe non potest, ipsi enim cum non sint Ecclesiae membra, nec unum corpus in Christo cum aliis fidelibus constituant, non possunt esse participes bonorum et fructuum hujus Sacrificii; Verum indirecte potest pro eis offerri (1). Nam cum Sacrificium Missae Deo offeratur pro Sanctae Romanae Ecclesiae pace, Fidei propagatione; atque hinc pro omnium ad gremium Ecclesiae reductione, et ad veram Fidem, et Religionem conversione, clare patet, illud pro supradictis, saltem indirecte, offerri posse.

Q. *In Missa potest ne fieri oratio pro supradictis Haereticis, Schismaticis, atque Cathecumenis?*

R. Si loquimur de orationibus, quae in Missa fiunt pro membris Ecclesiae, non potest, excepto dumtaxat die Parasceves, in quo ob peculiarem Sanguinis Christi effusi memoriam, Ecclesia orat pro illis; si vero loquimur de oratione privata, et potest (2).

Q. *Potest ne offerri Sacrificium pro damnatis?*

R. Nullo modo potest. Nam ipsi statim ac exierunt ex hoc Mundo, et fuerunt ad Inferos damnati, desie-

---

ad Tim. 2. dicens: *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.*

(1) Nam, Ecclesia, inquit Angelicus doctor in IV. Sent. *dist. 18. q. 11. art.* 1. *quaestione.* 1. *ad* 3. *per excommunicationis sententiam separat excommunicatos ab universitate fidelium, pro quibus suffragia facit. Unde suffragia Ecclesiae eis non prosunt, quae pro tota Ecclesia fiunt: nec ex persona Ecclesiae oratio pro eis inter membra Ecclesiae fieri potest.* Idipsum de aliis supradictis dicendum est.

(2) Ita laudatus Doctor loco cit.

runt esse Christi membra, et extra omnem sunt spem salutis (1).

Q. *Pro animabus in Purgatorio degentibus potest ne offerri Missae Sacrificium?*

R. Potest; et expresse in Concilio Tridentino (2) statutum habetur.

Q. *Quaenam Missa plus prodest defunctis, Missa de Requie, an Missa alicujus Sancti?*

R. Cum D. Thoma. *Ex parte Sacrificii oblati, Missa aequaliter prodest defuncto, de quocumque dicatur; et hoc est praecipuum, quod fit in Missa; sed ex parte orationum, magis prodest illa, in qua sunt orationes ad hoc determinatae. Sed tamen iste defectus recompensari potest per majorem devotionem vel ejus, qui dicit Missam, vel ejus, qui jubet dici, vel iterum per intercessionem Sancti, cujus suffragium in Missa imploratur.*

Q. *Missae Sacrificium potest ne rite offerri pro Sanctis cum Christo regnantibus?*

R. Rite offerri potest, non ut iis prosit ad culpae, vel poenae remissionem; quia Sanctis cum Christo regnantibus nihil superest luendum sive culpae,

---

(1) Quare S. Augustinus Lib. III. de orig. anim. Cap. XII. *Noli credere*, inquit, *nec dicere, nec docere, Sacrificium Christianorum pro iis, qui non baptizati de corpore exierint, offerendum, si vis esse Catholicus*. Vid. Cunili. Lib. VII. de Euch. Diss. 2. C. 4.

(2) Sess. XXII. Cap. 2. ubi legitur: *Miesae Sacrificium non solum pro fidelium vivorum peccatis; poenis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus, sed et pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, rite, juxta Apostolorum traditionem; offertur.* Et rursus Can. III. *Si quis dixerit Missae Sacrificium esse tantum laudis, etc. non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis, et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit.*

sive poenae; sed tum ut in iis honoretur Deus, et ipsi in Deo; tum ut eorum apud Deum intercessio obtineatur (1).

CAPUT V.

De valore, et fructu Sacrificii Missae.

Q. *Quid est valor Sacrificii Missae?*

R. Valor Sacrificii Missae non est aliud, nisi efficacia, quam ex sui institutione, habet tale Sacrificium ad bona conferenda offerenti, et iis, pro quibus offertur.

Q. *Quid est illius fructus?*

R. Fructus sunt bona ipsa, quae Deus, intuitu Sacrificii confert. Valor itaque a fructu distinguitur, veluti causa ab effectu.

Q. *Quotuplex distinguitur Sacrificii valor?*

R. Duplex; nempe 1. *ex opere operato*; et 2. *ex opere operantis*. Primus, ex opere immediate a Christo instituto, proficiscitur, semperque percipitur, nisi obex adsit; secundus vero est effectus meriti, et dignitatis ministri, vel suscipientis; ideoque nec semper habetur, cum a celebrantis, vel suscipientis devotione pendeat.

Q. *Quotuplex est Sacrificii fructus?*

R, Triplex est; 1. nempe *generalis;* 2. *specialis*; 2. *specialissimus*. *Generalis* est ille, qui ex Chri-

---

(1) Ita de fide statutum a Tridentino habetur Sess. XXII. Can. 5. his verbis: *Si quis dixerit, imposturam esse Missas celebrare in honorem Sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit; anathema sit*. Vid. Cuniliati Tract. XIV. de Euch. Sacram. Append. §. 2. n. 2.

sti Domini institutione, in omnia Christi membra dividitur. *Specialis*, seu *medius* est ille, qui cedit in bonum illius, pro quo Sacrificium ex intentione Sacerdotis offertur. Specialissimus tandem est ille, qui cedit iu bonum ipsius celebrantis.

Q. *Quomodo valet Sacrificium Missae, prout est actio Christi, principaliter offerentis?*

R. Valet ex opere operato; quia operatur in dependenter a dignitate, et merito tam Ministri conficientis, quam subjecti recipientis (1).

Q. *Cujus valoris est Missae Sacrificium?*

R. Est valoris infiniti. Nam Sacrificium Missae, quoad substantiam, idem est ac Sacrificium Crucis, sola offerendi ratione diversa (2); si ergo Sacrificium Crucis fuit infiniti valoris, valoris quoque infiniti est Sacrificium Missae.

Q. *Si valor Missae est infinitus, quare multiplicantur Missae: statuuntur Anniversaria, et legata perpetua fiunt pro eadem anima?*

R. Id est, quia fructus Sacrificii non percipitur secundum proprium valorem, sed juxta dispositionem illius, cui applicatur. Cum ergo nesciatur, num dispositio illius cui applicatur, talis fuerit, ut Missae fructum pro liberatione totali susceperit, aliae Missae applicantur.

Q. *Quibus Missae Sacrificium plus prodest; iis nempe qui dant stipem, aut quibus specialiter applicatur, vel aliis, quos generatim sua intentione complectitur Sacerdos?*

R. Plus prodest iis, qui dant stipem, et illis,

---

(1) *Haec quidem*, ait Tridentina Synodus Sess. XXII. Cap. *illa munda oblatio est, quae nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest.*

(2) Ex Trid. Sess. XXII. C. 2.

pro quibus specialiter applicatur, quam aliis, quos generatim sua intentione complectitur Sacerdos.

Q. *Quae Missa est uberioris suffragii pro Defunctis, privata, an solemnis?*

R. Missa solemnis (1).

Q. *Quomodo Missae Sacrificium remittit peccata, et paenas peccati?*

R. Remittit ex opere operato, non tamen eadem prorsus ratione. Nam, ut jam diximus, ex Tridentino (2); Sacrificium Missae est vere propitiatorium; adeoque valet ad remissionem tum culpae, tum poenae; non eadem vero prorsus ratione; quia immediate obtinet gratiam poenitentiae; mediate vero, usu hujus gratiae, remissionem peccatorum praestat (3).

Q. *Quaenam Missa plus valet, illa nempe quae celebratur a bono Sacerdote, an quae a malo?*

R. Si consideratur Missa quoad valorem intrinsecum ex opere operato, et tunc idem est valor; si vero consideratur quoad valorem ex opere operantis, t tunc plus valet Missa boni sacerdotis, quam mali (4).

---

(1) Ita communiter Doctores. Et quidem non solum ex opere operantis, sed etiam ex opere operato, ut asserit, et probat P. Cuniliati Tract. XIV. de Sacram. Euch. Append. §. II. q. 3. et concludit « Obligationi » celebrandi Missam solemnem pro defuncto satisfieri non » posse celebratione Missae privatae.

(2) Sess. XXII. Can. 3.

(3) Ait namque laud. Synodus Trid. Sess. ead. C. 2. *Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam, et donum perseverantiae concedens, crimina, et peccata etiam ingentia dimittit*. Vid. Elem. Theol. tract. de Euch. Cap. II. prop. 4.

(4) Ita ex D. Thoma *P. III. q. 82. art. 6. in corp.*

CAPUT VI.

De Sacerdotis obligationibus relative ad Missae Sacrificium.

Q. *Quaenam sunt Sacerdotis obligationes relative ad Missae Sacrificium?*

R. Sacerdotis obilgationes quoad Missae Sacrificium, aliae Sacrificii oblationem antecedunt, aliae comitantur, aliae subsequuntur. Quae antecedunt sunt 1. Immunitas a gravibus peccatis; 2. Jejunium naturale; 3. Obligatio ipsa celebrandi; 4. facultas honorarii recipiendi; et 5. Immediata ad Missam praeparatio. Quae autem comitantur, sunt; 1. Intentio Sacerdotis; 2. Necessitas ministri inservientis; 3. Accurata praxis Rubricarum. Ex illis vero quae subsequuntur, praecipua est gratiarum actio.

Q. *Quid est laudabilius celebrare saepe an raro?*

R. Laudabilius est saepe celebrare, quam raro. Nam si per Missae Sacrificium cultus praestantissimus, atque acceptissimus exhibetur Deo, et quo maxime promeretur Deus; nec non tot beneficia in viventibus, atque defunctis in Purgatorio existentibus derivantur, proculdubio laudabilius est celebrare saepe, quam raro (1).

---

(1) Quare Seraphicus Doctor Lib. de praep. ad Missam Cap. 5. inquit. *Cum Sacerdos est absque peccato mortali, et in proposito bono, non habens legitimum impedimentum, et non ex reverentia, sed ex negligentia celebrare omittit, quantum in ipso est, privat S. Trinitatem laude, et gloria, Angelos laetitia, peccatores venia, justos subsidio, et gratia, in Purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi speciali beneficio, et seipsum medicina, et remedio contra quotidiana peccata, et infirmi-*

Q. *Quomodo peccant Sacerdotes, qui fere nunquam celebrant?*

R. Isti graviter peccant. Nam 1. agunt contra Christi Domini praescriptum (1): *Hoc facite in meam commemorationem*, quod ex Concilio Tridentino (2), continet verum praeceptum; 2. contra propriam Sacerdotis obligationem, quae est, ut ait Apostolus (3) *ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis*; 3. contra Ecclesiasticam Legem, quae sub poena suspensionis prohibet, quod Sacerdos vix quater in anno celebret (4); et praescribit, Sacerdotes, saltem diebus Dominicis, et Festis solemnibus, Missam celebrare (5).

Q. *Quoties celebrare tenentur sub gravi Parochi, et alii omnes, qui animarum curam habent?*

R. Sive per se, sive per alios tenentur toties Missam celebrare, quoties eorum subditi adstriguntur Missae Sacrificio (6).

---

tates. Quamvis autem laudabilius sit saepe celebrare, quam raro, nullum tamen extat praeceptum, quo simplex Sacerdos teneatur quotidie celebrare, nisi in casu, quo habeat Beneficium, vel Cappellaniam, quae id exigat.

(1) Lucae Cap. XXII. v. 19.

(2) Sess. XXII. Cap. 1., cujus haec sunt verba; *Apostolis . . . . eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit per haec verba*: Hoc facite etc.

(3) Ad Heb. Cap. V. v. 1.

(4) Con. Lateran. IV. *Cap. dolentes* 9. *de celeb. Miss.*

(5) Ita Conc. Trid. Sess. XXIII. de reform. Cap. 14. in quo ita praescribitur: *Curet Episcopus, ut* (Sacerdotes) *saltem diebus dominicis, et Festis solemnibus . . . . Missas celebrent.*

(6) Atque id patet ex eodem Tridentino mox relato, a quo praescribitur; quod si Sacerdotes *curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant,*

Q. *Ad quid tenetur Cappellanus?*

R. Cappellanus tenetur celebrare Missam quoties, ubi, et quando praescribit Cappellaniae fundatio. Pacta enim, et conventiones servari debent; alias defraudaretur intentio Testatoris, quod injustum est (1).

Q. *Potest ne Cappellanus, retento Cappellaniae stipendio, aliquoties non celebrare?*

R. Si fundator expresse statuit, singulis diebus celebrandam esse Missam a Cappellano, ita ut nunquam desit Missa in Ecclesia, et tunc non potest. Si vero id expresse non statuit, tunc causa devotionis, et reverentiae tali Sacrificio debitae, potest semel in hebdomada a celebratione abstinere (2).

Q. *At quid dicendum si Cappellanus aegrotat, et nequit celebrare?*

R. Si infirmitas est ad breve tempus, puta quindecim dierum, ut aliqui; vel unius mensis, secundum Concilium Mediolanense VII., vel duorum mensium, ut tenent alii, et tunc, licet Missas non

---

Missas celebrent. Quomodo enim Parochus, vel alius curam animarum gerens, muneri suo satisfaciet, si populo sibi commisso ad Missam audiendam obligato, ipse neque per se, neque per alium Missam celebret? Certe ipso, tunc, vel alio non celebrante, populus, Missam non audiet; adeoque et ipse talis defectus causa erit.

(1) Siquidem: *Necesse est*, ajebat S. Gregorius in quadam Epistola; *ut defuncti dispositio modis omnibus conservetur*.

(2) Ita praescriptum habetur ab Alexandro III. C. *significatum est*. 2. de praebendis. Abstinendo vero se a celebratione pro Cappellania, non potest pro alio illa die celebrare. Solummodo Doctores communiter illi concedunt, ut semel, vel iterum in anno pro se, et suis, alia de causa occurrente celebret; idque ex rationali praesumptione, quod talis sit mens testatoris.

celebraverit. potest retinere fructum Cappellaniae; secus debet alium substituere, qui oneri Cappellaniae satisfaciat (1).

Q. *Peccat ne Cappellanus, qui Missam in aliqua Ecclesia, vel Altari a Testatore designato non celebrat, sed alibi*?

R. Si hoc facit ex justa, et rationabili gravi causa, et celebrat juxta intentionem fundatoris, non peccat; secus peccat, et quidem graviter si saepius id fecit; venialiter si raro. An autem Cappellanus teneatur ad novam celebrationem illarum Missarum, dissident inter se Doctores.

Q. *Si quis onus habens celebrandi Missam certo aliquo die, ob devotionem eleemosynam dantis, peccat ne si pro alia die differt celebrationem.*

R. Peccat quidem; sed venialiter ne, aut moraliter, variant Theologi.

Q. *Potest ne Sacerdos eadem die plures Missas, licite celebrare?*

R. Esto antiquis temporibus licitum esset plures Missas eodem die celebrare (2); hodie tamen, ordinarie vetitum est (3).

Q. *Licet ne quocumque Anni die Missam celebrare?*

R. Non licet. Nam die Parasceves, sub gravi prohibitum est Missam celebrare (4).

---

(1) Hoc autem semper intelligendum est, quoties qui Cappellaniam fundavit, non expresserit se velle ut Missa quotidie in tali Ecclesia celebretur.

(2) Uti ex Concilio Toletano XII. Anno 681. C. 5.

(3) Dixi ordinarie; Nam in die Nativitatis permittitur trium Missarum celebratio; et in casu verae necessitatis non prohibetur.

(4) Id patet ex praxi Ecclesiae, et ex communi Do-

CAPUT VII.

De Missae Stipendio.

Q. *Potest ne recipi stipendium pro celebratione Missae?*

R. Si stipendium accipitur pro substentatione Sacerdotis, potest (1); Si vero accipitur tanquam pretium Sacrificii, et non potest, quia Sacrificium non est pretio exstimabile; unde qui acciperet, simoniam committeret (2).

Q. *Quomodo se gerere debet Sacerdos quoad Missae stipendium?*

R. Debet esse contentus de stipendio per legem, vel consuetudinem praefixo. Si autem ei aliquid majus, gratis offertur, potest illud accipere; imo potest aliquando modeste etiam exigere, ratione laboris extrinseci, vel magni incommodi; veluti si debeat

---

ctorum consensu. Au autem id liceat feria V. in Coena Domini, et Sabbato Sancto, non conveniunt inter se Theologi. Verum ex Decreto Clementis XI. 15. Martii 1712, expresse prohibetur his verbis: *Non possunt in feria 5. in Caena Domini, et Sabbato Sancto celebrari Missae privatae, sed solum Conventualis, juxta ritum S. Ecclesiae, et iterata Decreta S. Congregationis.* Videtur tamen, posse Superiores, ex rationabili causa, quoad hoc, cum aliquo Sacerdote dispensare.

(1) Quis enim, ait Apostolus militat suis stipendiis unquam. Et necesse est ut qui Altari servit, de Altari, et vivat. De origine stipendii Consul. Concina Lib. III. de Euch. Diss. 2. l. 6.

(2) Vid. S. Thomas 2. 2. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 2. Et in IV. Sent. dist. 25. q. 3. art. 2. ad 4.

expectare usque ad meridiem ut Missam celebret, si locus ubi debet celebrare sit distans, etc.

Q. *Parochi, et alii animarum curam gerentes possunt ne accipere stipendium pro celebratione Missae?*

R. Esto variae fuerint olim super hoc argumentum Theologorum sententiae, Benedictus tamen XIV. (1). docet non posse ab iis accipi stipendium pro Missae celebratione iis diebus, quibus ex officio celebrare tenentur, ut fideles sibi subditi, praecepto audiendi Missam satisfaciant.

Q. *Potest ne Sacerdos, retenta sibi parte stipendii accepti, alteri committere celebrationem Missae?*

R. Non potest: et oppositum est ab Alexandro VII. damnatum (2).

Q. *Potest ne id fieri saltem a Cappellanis?*

R. Potest, dummodo tamen tribuat alio sacerdoti celebranti eleemosynam congruam, secundum morem Civitatis, vel Provinciae, nisi in fundatione ipsius Beneficii aliud cautum fuerit (3).

Q. *Potest ne unica Missa pluribus obligationibus satisfieri?*

R. Non potest; et oppositum est ab Alexandro VII. proscriptum (4).

---

(1) Constit. quae incipit: *Cum semper oblatas* An. 1744. apud Concina Lib. de Eucharistia Dissert. 2. de Sacrif. Missae. Vid. Elem. Theol. Pract. de Eucharistia C. 3. §. 3. q. 1.

(2) In prop. 9. quae seqnens est. *Post Decretum Urbani, potest Sacerdos cui Missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.*

(3) Ita ex Constitutione Innocentii Anni 1679. Quae incip; *Nuper a Congregatione* resp. ad 8.

(4) Quippe ab eo damnata fuit haec propositio n.

Q. *Quomodo peccat Sacerdos, qui accipit stipendium pro celebratione Missae, et Missam non celebrat?*

R. Peccat graviter, etiamsi stipendium fuerit tenue, puta decem assium; quia privatio fructus unius Missae, grave damnum infert.

Q. *Quid dicendum de illo, qui accipit stipendium pro Missa celebranda, et celebrationem differt?*

R. Si accipit stipendium ut Missam celebret pro aliqua urgenti gratia obtinenda, veluti pro felici partu, pro vitando imminenti periculo, pro vincenda lite, etc; et tunc si Missam differt celebrare, graviter peccat; si vero accipit sine tali necessitate, et tunc, si infra mensem, acceptatam Missam celebrat, non peccat; secus peccat.

Q. *Peccat ne Sacerdos, qui accipit stipendium pro celebranda Missa de Requie, vel votiva, et postea celebrat aliam Missam?*

R. Volunt aliqui venialiter peccare, si eo die quo celebrat, uti poterat paramentis nigris, et Missam de Requie celebrare, nullatenus vero peccare; si celebrat in Festis duplicibus, diebus Dominicis, aliisque diebus privilegiatis, in quibus, secundum Rubricas, Missae votivae, et de Requie celebrari non debent.

Q. *Potest ne Cappellanus, vel Beneficiatus, propria auctoritate, imminuere numerum Missarum olim constitutum, etiamsi ob imminutionem redditum, vel valoris pecuniae, non accipiat stipendium sufficiens?*

---

10. *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre. Neque enim est contra fidelitatem, etiamsi promittere, promissione juramento firmata danti stipendio, quod pro nullo alio offeram.*

R. Si absque Cappellani, vel Beneficiati culpa reditus omnino deficiunt, non tenetur Missam celebrare; si vero in parte redditus deficiunt, et a Testatore taxatum sit pro singulis Missis congruum stipendium, puta tarenum pro qualibet Missa, et tunc etiam potest. An autem possit idipsum Cappellanus, et Beneficiatus quando Testator designaverit numerum Missarum, et ob imminutionem reddituum deficiat stipendium ordinarium, litigium est inter Doctores. Sed hoc in casu, ad omne periculum allucinationis in causa propria, vitandum, stare oportet judicio Episcopi, aut viri docti, prudentis, et pii.

Q. *Quam intentionem habere debet Sacerdos applicandi Missam pro eo, a quo stipendium accepit?*

R. Debet habere saltem intentionem habitualem, scilicet aliquando habitam, et ante consecrationem, saltem unius speciei, non retractatam; quae debet esse determinata ad illam personam, a qua stipendium accipit.

Q. *Quid dicendum si quis vel non habuit talem intentionem, ob distractionem, sive oblivionem, vel posuit post consecrationem?*

R. Cum applicatio Missae facta non fuerit, illius fructus manet in thesauro Ecclesiae.

CAPUT VIII.

De Hora, loco, et Ritibus Missam celebrandi.

Q. *Quaenam diei hora adsignata est pro Missa celebranda?*

R. Ex Missali Romano, et generali consuetudine, hora celebrandi est ab Aurora usque ad meridiem. Hinc qui Missam complet in Aurora, vel eam incipit ante meridiem, ex communi sententia, vacat omni culpa.

Q. *Qualiter peccat, qui absque ulla causa, legem praescriptae horae ad celebrationem violat?*

R. Graviter peccat, dummodo notabilis sit quantitas temporis; alias venialiter tantum peccaret.

Q. *Dantur ne causae tum anticipandi, tum postponendi Missae celebrationem?*

R. Dantur, et sunt sequentes. 1. *Ex rationabili consuetudine*, ut opifices, et famuli possint summo mane audire Missam, 2. *Ex causa alicujus solemnis festivitatis;* 3. *ex causa itineris,* 4. *ex causa funeris alicujus Principis;* 5. *ex causa publicae supplicationis, vel Ordinum collationis.*

Q. *In quonam loco Missa celebrari potest?*

R. Regulariter loquendo, in Ecclesia, vel loco consacrato, vel auctoritate Episcopi benedicto, vel in Oratorio ad Divinum cultum dedicato, et per Episcopum designato (2).

Q. *Dantur ne casus, in quibus licet alibi celebrare?*

R. Affirmative; atque hi sunt 1. *necessitas.* 2. *Episcopi dispensatio*; et 3. *Romani Pontificis Privilegium* (3).

Q. *Quomodo peccat qni Ritus, ad celebrandum requisitos, non observat.*

R. Qui non servat Ritus ab Ecelesia praescrip-

---

(1) Non conveniunt vero Theologi in definiendo quaenam quantitas temporis requiratur ad culpam gavem. Alii enim requirunt mediam horam; aliis tres quadrantes, et alii fere horam.

(2) Ita ex Trid. *Sess.* 22. in Decreto *de observandis*, et *evitandis in celeb. Missae.*

(3) Consul. Elem. Theol. Praticae de Eucharistia Cap. 2. nec non Decretum Clementis XI. apud Concinam Lib. III. de Euch. Dissert. 11. Cap. VII. n. 7. q. 5. et seq.

tos sub gravi, graviter peccat (1); nisi excuset parvitas materiae.

Q. *Quid dicendum de illo, qui omitteret Orationes ante, vel post Missam?*

R. Etsi Auctores nullam in eo culpam agnoscant, dicendum tamen est, culpa non vacare Sacerdotes, qui absque ulla praeparatione, saltem domi facta, ad Altare accedunt.

---

(1) Quinam vero sint Ritus hujusmodi, vide apud Elem. Theol. Practicae, mox cit. Concina Lib. III. de Eu-Eh. Dissert. 2. n. 12. et seq.

TRACTATUS V.

De Sacramento poenitentiae.

Grates Deo: ad illud Sacramentum jam pervenimus explicandum, quo nihil hominibus, post Baptismum, in peccatis mortalibus lapsis, et spirituali contagione oppressis, magis necessarium, et salubre esse potest, eo quia per ipsum et a peccatis absolvimur, vitam, et salutem spiritualem consequimur, Deo reconciliamur, et ad Caelestis gloriae consequutionem jus quod amisimus, adquirimus, et Christi cohaeredes efficimur. Unde et variis nominibus solet a Patribus appellari; nempe *Secundus Baptismus*; *Secunda post naufragium tabula*; *Sacramentum reconciliationis*, *absolutionis*, *exhomolagesis*, *seu Confessionis*. Quam bonus Israel Deus, non solum iis, qui recto sunt corde, et ipsum diligunt, eique adhaerent; sed et iis, qui pravo sunt corde, ipsum gratis odio habent, et propter peccata, ab ipso discesserunt! quinimo illis misericordiam exhibendo, et dimittendo peccata, omnipotentiam suam, atque infinitam bonitatem manifestat. Utinam ergo homines saperent, et hoc Sacramento recte uti procurarent. Sed hoc maximum malorum est, qnod homo hoc Sacramento abutitur, et medicinam in laethale venenum, sua malitia convertit. Quod ut longissime a fidelibus absit, in praesenti Tractatu de eo agentes, quae ad illius dignam administrationem, et susceptionem scitu necessaria sunt, dilucide explicabimus. Sit proinde

CAPUT I.

De Nomine, et definitione Poenitentiae.

Q. *Unde nomen Poenitentiae derivatur?*

R. Poenitentia secundum S. Isidorum Hispalensem (1), a poena, seu punitione trahit originem. Unde Auctor Libri de vera, et falsa Poenitentia, vulgo S. Augustino adscripti (2), ait: Poenitere idem est ac poenam tenere, ut nempe homo semper puniat, in se ulciscendo, quod commisit peccando.

Q. *Quotupliciter considerari potest Poenitentia?*

R. Considerari potest uti virtus, et uti Sacramentum.

Q. *Quid Poenitentia uti virtus, quid uti Sacramentum?*

R. Poenitentia uti virtus, *est virtus moralis supernaturalis, qua dolemus de peccatis commissis, quatenus sunt offensa Dei, ex motivo supernaturali, cum proposito non peccandi de caetero.* Uti Sacramentum vero, *est Sacramentum Novae Legis a Christo Domino institutum ad remittenda peccata post Baptismum commissa, per actus poenitentis, et absolutionem Sacerdotis.*

Q. *Poenitentia uti virtus, et Poenituntia uti Sacramentum in quo conveniunt, et in quo differunt inter se?*

R. Conveniunt in his; et 1. Utraque restituit hominem in gratiam et amicitiam Dei; Utraque requirit detestationem peccati, et propositum emendandae vitae; 3. Utraque est medicina utilis, et neces-

---

(1) Lib. IV. Orig.
(2) Cap. XIX.

saria, si peccatum post Baptismum commissum sit mortale; 4. Utraque requirit pro subjecto hominem adultum.

Differunt vero; 1. quia Poenitentia uti virtus, requirit dolorem perfectum, ut justificet, uti vero Sacramentum sufficit dolor imperfectus; 2. Poenitentia uti virtus, fuit quovis tempore hominibus necessaria; uti vero Sacramentum, est proprium Christianorum.

Q. *Poenitentia est ne Sacramentum?*

R. Maxime, et est de Fide (1).

Q. *Est ne Sacramentum Poenitentiae necessarium necessitate medii ad salutem?*

R. Pro illis, qui post Baptisma in peccatum mortale lapsi sunt, est utique necessarium necessitate medii, sive in re, hoc est realiter illud suscipiendo, sive in voto, hoc est, si non potest in re, saltem illud optando (2).

---

(1) Ita ex Sacris Scripturis, Matth. nempe XVI. et XVIII. perpetuo sensu, et Ecclesiae traditione; pluriumque Conciliorum, et novissima definitione Concilii Tridentini, quae ita se habet Sess. XIV. Can. 1. *Si quis dixerit in Catholica Ecclesia, Poenitentiam non esse vere, et proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptisma in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino institutum, anathema sit.*

(2) Votum autem, sive desiderium recipiendi Poenitentiae Sacramentum, continetur virtualiter, sive implicite in tribus: nempe 1. In actu perfectae Charitatis; *Charitas* namque, ex D. Petro Epist. 1. C. IX *operit multitudinem peccatorum;* 2. In actu perfectae contritionis; constat enim, ex Trid. Synodo Sess. laud. Cap. 4. *contritionem aliquando, Charitate perfectam reconciliare hominem Deo, priusquam Sacramentum actu concipiatur.* In Martyrio, quod cum actu charitatis conjuncto, ex Patrum sententia, remittit omnem cul-

Q. *Quando Christus hoc Sacramentum instituit?*

R. Post suam Resurrectionem cum dixit discipulis suis (1): *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt.*

CAPUT II.

De Materia, et Forma Sacramenti Poenitentiae.

Q. *Quotuplex est Sacramenti Poenitentiae materia?*

R. Duplex; *remota* nempe, et *proxima*. Materia remota sunt peccata actualia, post Baptismum commissa (2). Proxima sunt actus poenitentis.

Q. *Est ne materia hujus Sacramenti peccatum,*

---

pam, et poenam. Unde *Cap. 6. Cum Martyre de celeb. Miss.* dicitur: *Injuriam facit Martyri, qui pro Martyre orat.*

(1) Joan. Cap. XX. Ita Trid. Synodus Sess. citata Cap. 1. his verbis: *Dominus autem Sacramentum Poenitentiae tunc praecipue instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos, dicens:* Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt. *Quo tam insigni facto, et verbis tam perspicuis, potestatem remittendi, et retinendi peccata ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis, et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit.*

(2) Peccatum enim Originale, et omnia alia peccata actualia ante Baptismum commissa, nequeunt esse materia hujus Sacramenti; quippe quae jam per Baptismum deleta supponantur. Unde, et hoc Sacramentum, secunda post naufragium tabula, a Tridentino citato, appellatur.

quod quis in Baptismi susceptione committeret; veluti si adultus accederet ad Baptismum sine peccatorum dolore, et detestatione; aut cum voluntate committendi aliquod peccatum?

R. Multi Doctores, inter quos S. Augustinus, S. Thomas, et Seraphicus Doctor, affirmativam tenent sententiam. At S. Alphonsus de Ligorio (1) non audet hoc affirmare.

Q. *Quotuplex est materia remota hujus Sacramenti?*

R. Triplex est; nempe 1. Necessaria, et sufficiens; 2. sufficiens, et non necessaria; 3. Necessaria, sed non sufficiens. Prima sunt peccata post Baptismum commissa; secunda sunt peccata venialia, aut mortalia, alias rite confessa; 3. Sunt peccata mortalia dubia (2).

Q. *Datur ne peccatum adeo grave, quod Poenitentia deleri non possit?*

R. Non datur. Cum enim Deus sit infinite misericors, nullum dari potest peccatum, quantumlibet grave, de quo sincero, et humili corde dolentes, non possit a Deo, Sacramento Poenitentiae, venia obtineri (3).

---

(1) Lib. VI. n. 427.

(2) Quare si quis confitetur peccatum dubium, et non habet mortalia, alias rite confessa, non potest absolvi, nisi tantum sub conditione. Quod si post acceptam absolutionem recordetur, se certo peccatum illud commisisse, debet denuo confiteri, et sic absolutionem obtinere.

(3) Sane loquens Christus de potestate absolvendi a peccatis, Apostolis, aliisque eorum successoribus tradita, nullam fecit exceptionem peccati; ait enim. *Quaecumque solveritis super terram*; quibus verbis, ait Pacianus Epist. 3. *Omnino nihil excepit; quaecumque vel magna, vel parva.*

Q. *Quid requiritur, ut peccatum veniale sit materia sufficiens in Sacramento Poenitentiae?*

R. Requiritur, ut qui peccatum veniale confitetur, de eo, ex motivo supernaturali, sincere doleat, cum vero proposito, illud amplius non perpetrandi.

Q. *Quinam sunt actus poenitentis, qui constituunt materiam proximam Sacramenti Poenitentiae?*

R. Sunt tres; scilicet 1. *Cordis contrictio*; 2. *Oris Confessio*; et *Operis satisfactio* (1).

Q. *Quid est cordis contritio?*

R. Cordis contritio, ex Concilio Tridentino (2), est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, quatenus est offensa Dei, cum proposito non peccandi de caetero.

Q. *Quotuplex est Contritio generatim accepta?*

R. Ex eodem Tridentino, duplex est; *Perfecta* nempe, et *Imperfecta*. Perfecta est animi dolor, ac detestatio peccati, propter Deum summe dilectum, cum proposito non peccandi de caetero. Imperfecta vero, est dolor animi, ac detestatio peccati, ob turpitudinem peccati, vel metum gehennae etc., cum firmo proposito non peccandi de caetero. Et haec vocatur Attritio.

Q. *Datur ne differentia inter contritionem perfectam, et imperfectam?*

R. Datur, et quidem ratione tum motivi, cum effectus. Ratione motivi, quia contritio fit ex motivo charitatis erga Deum; attritio vero ex motivo timoris poenae, etc. Ratione effectus, quia contritio justificat extra Sacramentum, cum Sacramento tamen in voto; attritio vero requirit Sacramentum in re.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur ad verum dolorem constituendum?*

R. Sequentes requiruntur conditiones; scilicet 1.

---

(1) Ita ex cit. Trid. Can. 4.
(2) Sess. cit. Cap. 4.

ut sit supernaturalis (1); 2. ut sit universalis (2); 3. efficax; (3). 4. formalis (4); et 5. saltem appretiative summus (5).

Q. *Ut attritio sit satis in Sacramento Poenitentiae, requiritur ne ut procedat ex motivo supernaturali?*

R. Affirmative; et oppositum est damnatum (6).

Q. *Attritio sine ulla benevolentia Dei, sufficit ne in Sacramento Poenitentiae tamquam ultima, et proxima dispositio ad gratiam?*

R. Non conveniunt inter se Theologi (7).

---

(1) Quia est donum Dei, et Spiritus Sancti impulsus, ut loquitur Trid. Synodus cit. Et concipi debet ex motivo, per fidem proposito.

(2) Hoc est, ut ad omnia peccata commissa se extendat.

(3) Nam ad confessionem, ex Concilio Trid. requiritur dolor, *qui voluntatem peccandi excludat*; jam vero si dolor non est efficax, hanc voluntatem non excludit.

(4) Hinc qui accederet ad Poenitentiae Sacramentum sine tali dolore, sed cum solo actu dilectionis Dei, Sacramentum non reciperet; quia non adhiberet materiam quam Christus instituit, et quam Ecclesia, et Patres dicunt requiri de necessitate Sacramenti.

(5) Hoc est ita, ut poenitens nihil magis detestetur, quam peccatum, et velit potius omnia mala Mundi sustinere, quam mortaliter contra Deum peccare.

(6) Ita ex propositionibus 14. et 15. ab Alexandro VIII. proscriptis, quae sunt hae. *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam.* Altera: *Attritio, quae gehennae, et poenarum metu concipitur sine dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus motus, et supernaturalis . . . Timor gehennae non est supernaturalis.*

(7) Sunt enim aliqui, qui dicunt sufficere, idque constare ajunt ex verbis cit. Trid. nempe: *Attritionem ad Dei gratiam in Sacramento Poenitentiae impetran-*

Q. *Recte ne se gerit, et placet Deo, qui detestatur malum, et prosequitur bonum, ut Caelestem obtineat gloriam?*

R. Affirmative; et ita est a Tridentino (1), contra Lutherum, et Calvinum, de fide statutum.

Q. *Dolor debet ne absolutionem praecedere?*

R. Utique debet praecedere absolutionem. Nam in absolutione, Sacramentum poenitentiae consistit; sed absolutio impartiri non debet poenitenti, qua peccata ab eo delentur, nisi prius doleat de peccatis commissis, et ea sincero corde detestetur (2); Ergo, etc.

Q. *Quanto tempore dolor praecedere potest Confessionem?*

R. Potest tanto tempore praecedere, quanto adhuc moraliter censeri potest, unum actum imperari ab alio, et facere unum quid, moraliter, cum ipso ad Confessionem dolorosam.

Q. *Si quis peracta confessione recordatur de alio peccato, et iterum confitetur, tenetur ne actum doloris elicere?*

---

dam disponere. Et haec, ait P. Viva, communior est sententia. Alii e contra negant sufficere, asseruntque, saltem aliqualem Dei dilectionem requiri; Idque probant ex illo Joannis III. *Qui non diligit, manet in morte;* et etiam ex Trid. Sess. VI. Cap. 7. Ubi dicitur: *fides sine spe, et charitate, vitam aeternam praestare non potest.*

(1) En Trid. verba Sess. VI. Can. 31. *Si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis operatur, anathema sit.* Unde merito damnata fuit sequens Propositio n. 10. *Intentio qua quis detestatur malum, et prosequitur bonum, mere ut caelestem obtineat gloriam, nec est recta, nec Deo placens.*

(2) *Poenitemini enim, et convertimini, ut deleantur peccata vestra*, dicitur Actor. Cap. III. v. 19.

R. Probabiliter videtur, non teneri; quia primus dolor, ut supponitur, cum fuerit generalis, ad omnia peccata se extendit, etiam ad illa, quorum poenitens antea fuerit oblitus. Verum in re tanti momenti, tutius est, si novum contritionis actum eliciat.

Q. *Qualiter est necessaria contritio ad remissionem peccatorum mortalium.*

R. Est necessaria tum necessitate medii (1); tum necessitate praecepti Divini (2).

Q. *Quando tenetur quis ad contritionem?*

R. Tenetur subito postquam peccaverit, vel saltem notabiliter eam non differre (3).

Q. *Quale peccatum committit, qui notabili tempore differt contritionem, postquam peccaverit?*

R. Peccat mortaliter; tum quia contritionem differendo, et manendo in statu peccati, videtur contemnere Dei amicitiam, cum Deus, licet offensus, illum ad suum amorem, et ad suam gratiam consequendam invitet; tum quia manendo in statu peccati, proximo periculo relabendi se exponit; et hinc contra charitatem sibi debitam peccat (4).

Q. *Dantur ne casus, in quibus contritionis praeceptum obligat sive per se, sive per accidens?*

---

(1) Ita declaravit Tridentina Synodus Sess. XIV. Cap. 4. dicens: *fuit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.*

(2) Per Prophetam namque Ezechielem C. XVIII. v. 30, ita loquitur Deus: *Convertimini, et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris.*

(3) In Ecclesiastico enim Cap. V. v. 8. 9. ita legitur: *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictae disperdet te.*

(4) *Nam peccatum*, ut scribit S. Gregorius Lib. 25. Moral. Cap. 9. *quod poenitentia non diluit, ipso suo pondere ad aliud trahit.*

R. Dantur; et primo obligat per se in gravi periculo mortis; et juxta multos, etiam saepius in vita. Obligat secundo per accidens: 1. quando quis, in peccato mortali existens, debet vel ministrare, vel suscipere Sacramentum aliquod vivorum: 2. Quando Contritionis actus, ad graves tentationes superandas necessarius existimatur; et 3. quando quis tenetur elicere actum amoris erga Deum; tunc enim si recordetur alicujus peccati, tenetur illud, contritione, detestari (1).

Q. *Ut vera sit contritio, requiritur ne mora temporis?*

R. Non requiritur. Nam *Apud Deum non tam valet mensura temporis, quam doloris* (2).

Q. *Ad Sacramentum Poenitentiae requiritur ne propositum non peccandi?*

R. Requiritur propositum sive formale, sive virtuale non peccandi de caetero, atque insuper fugiendi omnes occasiones propinquas peccandi (3); alias non haberetur seria detestatio peccati a Tridentino (4) requisita, excludens voluntatem, et affectum peccandi.

Q. *Quale debet esse tale propositum?*

R. Debet esse *firmum* (5); *Efficax* (6); et *Universale* (7).

---

(1) Vid. Concina Lib. 1. de Sacram. Poen. Diss. 1. q. 5. et seq.

(2) Ita ex Cap. *Mensuram dist. 1. de Poenitentia.*

(3) Scriptum est enim: *Qui amat periculum in illo peribit.*

(4) Sess. XIV. Cap. 4.

(5) Hoc est stabiliter perseverandi in peccati detestatione, et fuga.

(6) Quod nempe absolute, omnem peccandi voluntatem excludat; ita ut velit poenitens, mala omnia potius tolerare, quam iterum peccare.

(7) Scilicet ab omnibus peccatis mortalibus abstinendi, nemine excepto.

CAPUT III.

De Oris Confessione.

Q. *Quid est Confessio?*

R. Confessio est legitima, et Sacramentalis accusatio de propriis peccatis, facta Saeerdoti, ad eorum veniam, per absolutionem, virtute clavium obtinendam (1).

Q. *Extat ne praeceptum Divinum faciendi confessionem?*

R. Utique extat, et novissime a Concilio Tridentino fuit declaratum (2).

Q. *Quinam hoc praecepto obligantur?*

R. Obligantur omnes adulti, qui post susceptum Baptisma, in peccato mortali lapsi sunt. Ita ex comuni sensu, Ecclesiae praxi, et Conciliorum definitionibus.

Q. *Quando obligat praeceptum hoc Divinum Confessionis?*

R. Per se obligat 1. in quovis certo vel probabili mortis periculo (3); 2. Saepius in vita, etiam

---

(1) Ita communiter Doctores cum D. Thoma in IV. dist. 17. q. 3. art. 2.

(2) Sess. XIV. C. 5. his verbis: *Universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem, et omnibus post Baptismum lapsis, jure Divino necessariam consistere.*

(4) Hinc in gravi morbo, in partu difficili, instante hostium conflictu, et in aliis casibus, et circumstantiis, in quibus probabile mortis periculum apparet, tenetur quis ad praeceptum Confessionis. Nam eo praecise tempore unusquisque tenetur suae aeternae saluti consulere, et Deo reconciliari.

extra ullum periculum mortis (1); et 3. in extremo vitae, etiamsi quis sibi conscius non sit de peccato mortali commisso (2). Ita communiter Doctores. Per accidens vero, quoties sumenda est Eucharistia; et quando remedium reputatur ad graves tentationes superandas, vel peccata praecavenda. An autem sit necessaria quando alia Sacramenta suscipienda, vel administranda sunt, etsi negent Casuistae, Cathechismus tamen Romanus eam exigit.

Q. *Obligat ne hoc praeceptum statim ac peccatnm est commissum?*

R. Variant super hoc Doctores. Multi enim cum S. Bonaventura (3), dicunt statim obligare, hoc est, data prima opportunitate. Alii cum D. Thoma (4) affirmant, differre Confessionem usque ad tempus Paschatis, per se loquendo, esse licitum. Attamen dicendum cum dicto Seraphico Doctore: Consilium sanum esse, ut omnes, qui in peccato mortale lapsi sunt, quam citius possunt, confiteantur.

Q. *Quot conditiones ad Confessionem requiruntur?*

R. Esto communiter sexdecim enumerentur (5)

---

(1) Nam praecepta affirmativa, non obligant solum in extrema necessitate, sed etiam cum illorum observantia necessaria judicatur.

(2) Si enim aliter fieret, daretur occasio scandali. Quisque enim videndo aliquem in vitae extremo non confiteri, facile scandalizaretur; et male de proximo sentiret. Aliunde, necesse est in tali circumstantia confiteri, ut evitetur jactantia, et hypochrisis.

(3) In IV. dist. 17. q. 2. p. 2.

(4) Quod. I. art. II.

(5) Atque his versiculis comprehendantur;
Sit simplex, humilis Confessio, pura fidelis,
Atque frequens, nuda, et discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, et lacrymabilis, accelerata,
Fortis, et accusans, et sit parere parata.

eae tamen, juxta Anacletum, et alios ad tres reducuntur, quae sunt, 1. ut sit *dolorosa*; 2. ut sit *vera*; et 3., ut sit *integra*.

Q. *Quid significat, Confessionem debere esse dolorosam?*

R. Significat, illam fieri debere cum sincero cordis dolore, et detestatione de peccato commisso, cum debito proposito non peccandi de caetero.

Q. *Quid requiritur, ut Confessio dicatur vera?*

R. Requiritur, ut nihil falsitatis, vel deceptionis habeat adnexum; Hoc est, ut peccata taliter confiteantur, qualiter recta conscientia, post diligens examen, dictat ea fuisse commissa, atque hinc confitenda.

Q. *Quomodo peccat, qui mentitur in Confessione?*

R. Si mentitur circa materiam necessariam, graviter peccat. Si vero circa materiam voluntariam, peccat leviter.

Q. *Quando verificatur quod Confessio sit integra?*

R. Quando poenitens confitetur omnia peccata mortalia, et nullum tale peccatum sive malitia, sive culpabili negligentia, vel oblivione, omittit (1).

Q. *Quotuplex datur integritas?*

R. Duplex; *Materialis* nempe, et *formalis*. Prima habetur quando quis confitetur omnia omnino peccata sua mortalia secundum speciem, numerum, et circumstantias; prout ea commisit. Secunda vero habetur quando quis confitetur omnia peccata mortalia secundum speciem, numerum, et circumstantias, sed inculpabiliter, ob impotentiam nempe vel physicam, vel moralem, aliqua omittit.

---

(1) Quare nequit dimidiari Confessio, ut uni Sacerdoti quis confiteatur aliqua peccata, et alia alteri.

Q. *Ut valida sit Confessio quaenam integritas requiritur*?

R. Regulariter loquendo, integritas materialis requiritur (1); ast virtualis est sufficiens (2).

Q. *Ut Confessio sit integra quaenam circumstantiae sunt necessario aperiendae*?

R. Ex Tridentino (3), circumstantiae, quae mutant speciem, vel in infinitum aggravant, vel minuunt, sunt necessario in Confessione aperiendae. Circumstantiae vero, quae notabiliter aggravant, vel minuunt speciem, in aliquibus casibus, veluti quando inducunt Reservationem, vel censuram etc., sunt etiam manifestandae. De aliis vero circumstantiis, litigium est inter Doctores

Q. *Potest ne quis reticere aliquod peccatum in Confessione, si ut illud confiteatur, debet manifestare complicem*?

R. Non potest; tum quia complex cessit juri suo; tum quia nulla timetur complicis infamia apud Confessarium.

---

(1) Uti patet ex Concilio Tridentino Sess. XIV. Can. 7. ubi haec leguntur: *Si quis dixerit in Sacramento Poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino, confiteri omnia peccata, et singula mortalia, quorum memoria cum debita, et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta, et quae sunt contra duo ultima Decalogi praecepta, et circumstantias, quae peccati speciem mutant, anathema sit.*

(2) Ecquis enim semper recordari poterit de peccatis, ita ut possit de illis materiali integritate confiteri? *Delicta quis intelligit*? ajebat Propheta David Psal. 18. unde, et Dominum orabat dicens: *Ab occultis meis munda me Domine, et ab alienis parce servo tuo.*

(3) Uti supra.

Q. *Potest ne Confessarius nomen complicis a paenitente requirere?*

R. Non potest.

Q. *Quid agere debet poenitens si non potest Confessario assignare numerum certum peccatorum suorum?*

R. Si post diligens, et adcuratum conscientiae suae examen, non potest suorum peccatorum praecisum, et verum numerum scire, debet Confessario manifestare numerum probabilem, vel saltem statum suae vitae.

Q. *Tenetur ne ad Confessionem, qui confiteri non potest, nisi per interpretem?*

R. Per se loquendo non tenetur (1); sed in articulo mortis, si quis est dubius de contritione, vel non satis securus, tenetur, ut simul cum attritione, et Sacramento Poenitentiae justificetur.

Q. *Qui ob aliquam necessitatem omisit in Confessione aliqua peccata, tenetur ne, transacta necessitate, illa confiteri?*

R. Tenetur. Nam viget semper praeceptum Divinum de confitendis omnibus peccatis post Baptismum commissis; uti constat ex Tridentina Synodo (2). Unde oppositum fuit ab Alexandro VII. proscriptum (3).

Q. *Ratione magni concursus populi die Indulgentiarum, vel magnae festivitatis, potest ne fieri Confessio dimidiate, et absolutio obtineri?*

---

(1) Nam Christus Dominus non prohibuit quidem confessionem publicam; sed nec etiam illam praecepit.

(2) Loco sup. cit. Can. 7.

(3) Prop. 9. quae sequens est: *Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans vitae periculum, aut ob aliam justam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.*

R. Non potest; uti patet ex propositione 19. ab Innocentio XI. damnata (1).

Q. *Potest ne fieri Confessio Sacerdoti absenti, et absolutio obtineri per Epistolam aut internuntium?*

R. Negative, et oppositum est a Clemente VIII. damnatum (2).

Q. *Si quis fecit confessionem invalidam, tenetur ne cum illa, omnes subsequentes Confessiones renovare?*

R. Si mala fide dictas Confessiones fecit, tenetur illas renovare; si vero bona fide, potest illam solummodo renovare.

Q. *Tenetur ne poenitens praemittere Confessioni suae conscientiae examen?*

R. Affirmative. Nam si tenemur confiteri omnia peccata mortalia, eo modo quo dictum est, oportet ut ea memoriae teneamus. At quomodo, sine diligenti examine conscientiae, maxime si ab una ad alteram Confessionem multum temporis effluxerit, de peccatis commissis recordari possumus, atquae illa Confessario fideliter aperire.

---

(1) Quae ita se habet: *Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni concursus poenitentium, qualis Ex. gr. potest contingere in die magnae alicujus festivitatis, vel indulgentiae.*

(2) Decreto anni 1602. sequentem proscribens propositionem: scilicet: *Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri licere per literas seu internuntium, et ab eodem absolutionem obtinere.* Et recte quidem. Nam *Hos*, ait Trident. Synodus Sess. XIV. Cap. 7. *Qui post Baptismum crimine aliquo se contaminaverunt, ante hoc Tribunal tamquam reos, sisti voluit Christus Dominus.*

Q. *Quale examen conscientiae requiritur ad Confessionem rite peragendum?*

R. Tale examen, ex Tridentino requiritur, quod sit factum *cum debita, et diligenti praemeditatione.* Hoc est tali discussione, qualis in negotiis magni momenti peragendis a viris prudentibus adhiberi solet. Hoc tamen pacto, quod minori indigent examine, qui frequentius confitentur; majori vero qui rarius; sicuti etiam minori, qui vitam tranquillam, et a negotiis saecularibus alienam degunt, majori autem, qui multis negotiis sunt implicati.

Q. *Potest ne Confessarius absolvere moribundum si ille non possit confiteri?*

R. Si ille dat signum doloris percutiendo pectus, vel manum Confessarii stringendo, tunc potest. Si vero non dat signum, et adstantes asserunt illum christiane vixisse, tunc absolutionem dare potest sub conditione, dicendo scilicet: *Si capax es, Ego te absolvo a censuris, et peccatis tuis.* (1). Atque idipsum agere debet cum illo, qui dederit signa dubia poenitentiae.

---

(1) Ita ex Concilio Arausicano I. An. 441. Can. 12. *Subito obmutescens . . . . poenitentiam accipere potest, si voluntatis, aut praeteritae testimonium habeat in verbis aliorum, aut praesentis in suo nutu.*

CAPUT IV.

De Operis Satisfactione.

Q. *Quid est satisfactio?*

R. *Satisfactio est compensatio poenae temporalis, debitae ob injuriam Deo illatam, consistens in operibus poenalibus et laboriosis* (1), *a Confessario taxatis, et a poenitente exequendis* (2).

Q. *Quotuplex est satisfactio?*

R. Satisfactio duplex est, *Sacramentalis* nempe, et *non Sacramentalis.* Prima est illa mox definita; Secunda vero est illa, quae fit non tantum bonis ac laboriosis operibus, sponte susceptis, sed etiam malis, atque calamitatibus hujus vitae, a Deo inflictis, et patienter toleratis.

Satisfactio autem Sacramentalis multiplex est; nempe 1. *vindicativa*, et *medicinalis*; 2. *Realis*, et *personalis*; 3. *In re*, *et in voto.* Satisfactio vindicativa est illa, quae praecise datur ad peccata in posterum praecavenda. Realis est illa, quae afficit rem, nempe eleemosynae largitionem; personalis vero, quae afficit personam, uti est jejunium, aliquarum precum recitatio, etc. Tandem satisfactionis ipsius adim-

---

(1) Opera autem laboriosa, ex Trid. Sess. XV. sunt orationes, jejunia, et aliae corporis mortificationes; item eleemosynae, et omnia alia misericordiae opera erga proximum.

(2) Cum homo per peccatum mortale triplex reatum contrahat; scilicet *culpae*; *poenae aeternae*, *et poenae temporalis*; Remissa ei culpa, et poena aeterna per Sacramentum Poenitentiae, remanet ipsi luenda poena temporalis, quae *satisfactio* dicitur; et de qua in definitione loquimur.

pletio; in voto autem, posita est in voluntate satisfactionem exequendi.

Q. *Satisfactio quaenam pars est Sacramenti Poenitentiae, integralis ne, an essentialis?*

R. Vel loquimur de satisfactione in re, et est pars integralis; si vero de satisfactione in voto, et est pars essentialis (1).

Q. *Quomodo peccat qui satisfactionem a Confessario impositam non exequitur?*

R. Si satisfactio imposita est gravis, graviter peccat; si vero levis, leviter.

Q. *Tenetur ne poenitens sub gravi, et pro peccatis laethalibus, vel nondum confessis, aut non rite confessis, adimplere satisfactionem in statu gratiae?*

R. Non conveniunt circa hoc Doctores. Quidam enim dicunt, teneri; alias peccaret mortaliter, et ad illam denuo adimplendam, in statu gratiae, teneri asserunt. Alii contra, dicunt non teneri; idque ex communi fidelium sensu colligunt, et ex praxi, cum solitum non sit, renovare in statu gratiae, satisfationem, in statu peccati mortalis impletam.

Q. *Quomodo tenetur Confessarius imponere satisfactionem poenitenti?*

R. Tenetur sub gravi eam imponere, cum prudentia tamen, attenta peccatorum qualitate, et poenitentis facultate, ut praecipit Tridentina Synodus (2).

---

(1) Quare si quis accederet ad Sacramentum Poenitentiae suscipiendum sine voluntate satisfactionem adimplendi, peccaret, et invalide Sacramentum reciperet.

(2) Sess. XIV. Cap. VIII. his verbis: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum Spiritus, et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, et poenitentium facultate, salutares, et convenientes satisfactiones injun-*

Q. *Potest ne aliquando licite administrari Sacramentum Poenitentiae sine satisfactionis impositione?*

R. Affirmative; et est quando poenitens morti proximus, nequit audire.

Q. *At si sensibus poenitens non est absolute destitutus?*

R. Tunc aliquam levem satisfactionem imponere potest. Quod si peccata confessa, quia enormia, exigunt gravem satisfactionem, illam ei imponere debet, sub conditione, quod scilicet, si convalescat, debeat illam adimplere (1).

Q. *Potest ne poenitens per alium, satisfactionem sibi a Confessario impositam, adimplere?*

R. Non potest; et oppositum est damnatum (2), Nam satisfactio, ex Tridentino (3), est quasi materia Sacramenti Poenitentiae; adeoque a poenitente necessario exequi debet.

Q. *Potest ne Confessarius immutare satisfactionem poenitenti impositam?*

R. Si loquitur de satisfactione ab ipsomet, suo paenitenti imposita, et stante justa causa, potest; sed in

---

gers, ne si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.

(1) Ita ex Can. 1. *Ab infirmis decreti* par. 2. causa 26. q. 7. ubi ita dicitur: *A quo periculo si divinitus ereptus convaluerit, impositum sibi a Sacerdote paenitentiae modum diligenter observet.*

(2) Alexander enim VII. sequentem n. 15. proscripsit propositionem: *Poenitens, propria auctoritate substituere alium sibi potest, qui loco ipsius poenitentiam adimpleat.*

(3) Sess. XIV. Can. 4.

confessione, quia est actus judicialis, et usus clavium. Si vero loquitur de satisfactione ab alio Confessario imposita, et tunc, stante justa causa, et audita denuo poenitentis confessione, potest; secus vero non (1).

Q. *Confessarius inferior potest ne commutare satisfactionem a Superiore Confessario, pro reservatis impositam?*

R. Non conveniunt super hoc inter se Doctores. Aliqui enim dicunt, posse, hoc innixi principio, quod peccata alias rite confessa, et absoluta, desunt esse reservata. Alii contra negant, ea ducti ratione, quod sicuti judicium principale, scilicet in absolutione a culpa, reservatum est superiori, ita quoque censendum est reservatum in accessorio, in impositione nempe satisfactionis.

Q. *Quando satisfactio adimpleri debet, ante an post obtentam obsolutionem?*

R. Nulla est obligatio adimplendi ante absolutionem, uti constat ex usu nunc ab Ecclesia a pluribus saeculis recepto, et ex propositionibus a pluribus Pontificibus proscriptis (2).

---

(1) Nam satisfactionis commutatio est actus judicialis, qui a Confessario ut judice exercetur; Quare ab ipso non potest exerceri, quin totum perficiat Sacramentum.

(2) Pro omnibus sit illa a Xisto V. damnata, quae ita se habet; *Non peracta poenitentia, confitentes absolvi non debere.*

Ex hoc autem non sequitur, non posse aliquando Confessarium obligare poenitentem ad implendam satisfactionem ante absolutionem. Hoc enim neque a Christo Domino, neque ab Ecclesia prohibitum est. Aliunde dari possunt casus, in quibus Confessarius, pro bono spirituali poenitentis, et ut illius bona dispositio certa reddatur, prudenter exigit, ut ille, ante absolutionem, satisfactionem adimpleat..

Q. *Potest ne injungi satisfactio pro defunctis applicanda?*

R. Potest. Quia satisfactio, ratione Sacramenti, semper applicatur poenitenti; et insuper talis applicatio prodest defunctis, et est poenitenti satisfactoria.

Q. *Quo tempore adimplenda est satisfactio?*

R. Si a Confessario praefixum est tempus illam adimplendi, et tunc tali tempore praefixo adimplenda est. Si vero non est tale tempus praefinitum, et tunc quamprimum commode potest, adimplenda est.

Q. *Quomodo peccaret, qui gravem satisfactionem pro gravibus peccatis impositam, diu differret?*

R. Graviter peccaret, quia contra gravem obligationem in materia gravi ageret. Maxime si satisfactio fuerit ad praecavenda peccata, a Confessario, prudenter imposita.

Q. *Potest ne aliquando poenitens non teneri ad satisfiactionem implendam?*

R. Potest in sequentibus casibus; nempe 1. quando constat eam esse omnino injustam; 2. quando fit moraliter impossibilis; et 3. quando adest praeceptum Superioris, mutantis opera pro satisfactione injuncta.

Q. *Quaenam est Forma Sacramenti Poenitentiae?*

R. Forma Sacramenti Poenitentiae haec est: *Ego te absolvo a peccatis tuis.* An autem sufficiant tantum verba: *Absolvo te*, litigium est inter Doctores (1).

---

(1) Nam aliqui communius cum D. Thoma, D. Antonino; etc. cum Catechismo Romano volunt sufficere, quia ly *Ego* continetur in verbo *absolvo*, et ly *a peccatis tuis* continetur in verbis *absolvo te.* Alii vero dicunt non sufficere; quia Christus Dominus

Q. *Praemitti ne debet absolutioni sacramentali absolutio a censuris?*

R. Affirmative; ita ut graviter peccet Confessarius, qui oppositum agit (1).

Q. *Pertinent ne ad essentiam formae aliae praeces, quae juxta morem Ecclesiae, in forma absolutionis apponuntur?*

R. Non pertinent, neque ad Sacramenti administrationem sunt necessaria (2).

Q. *Est ne peccatum mortale, sine rationabili causa absolutionem iterare?*

R. Est mortale sacrilegium ex genere suo, quia talis absolutio, defectu novae materiae, est irrita.

Q. *At si Confessarius dubitat, num fuerit absolutus poenitens; vel an ipse protulerit verba absolutionis, quid agendum?*

R. In tali casu debet poenitentem, si confessus sit mortalia, denuo, sub conditione tamen, absolvere, et quidem sub gravi, ne Sacramentum periculo nullitatis exponat.

---

in hujus Sacramenti institutione dixit Joan. XX. expresse: *Quorum remiseritis peccata*; sicuti ergo quia dixit *quorum* exprimendum est *te*, ideo quia *dixit peccata*, exprimendum est a *peccatis*. Vid. Buonocore. Animadvertendum est tamen cum Suarez, particulam illam *a peccatis tuis*, non esse omittendam, ut sic vitetur qualecumque periculum.

(1) Ecclesia namque sub gravi prohibet ne ligatus censuris aliquod recipiat Sacramentum.

(2) Revera in Rituali Romano, jussu Pauli V. edito, habetur, quod in Confessionibus frequentioribus et brevioribus, possit omitti: *Misereatur tui* etc. et satis sit dicere: *Dominus noster Jesus Christus* etc. usque ad illud *Passio Domini nostri* etc.

Q: *Quomodo peccat Confessarius, qui sine rationabili causa poenitentem sub conditione absolvit?*

R. Graviter peccat, quia hoc est contra reverentiam Saeramento debitam, et communem Ecclesiae usum.

Q. *Quaenam est integra forma, quae hodie adhibetur in Sacramentali absolutione impertienda?*

R. Haec est: *Misereatur tui, Omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam aeternam. Amen. Indulgentiam absolutionem, et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi Omnipotens, et misericors Dominus; Amen. Dominus noster Jesus Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo Excommunicationis; Suspensionis* (si poenitens est Clericus), *et Interdicti, in quantum possum, et tu indiges, Ego te absolvo a peccatis tuis in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Passio Domini Nostri Jesu Christi, merita B. Mariae Virginis, et omnium Sanctorum, et quidquid boni feceris, et mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae, et praemium vitae aeternae. Amen.*

CAPUT V.

De Ministro Sacramenti Poenitentiae, ejusque qualitatibus, et Officiis.

Q. *Quinam est Minister Sacramenti Poenitentiae?*

R. Solus Sacerdos (1); non autem omnis, sed

---

(1) Ipsis enim in persona Apostolorum, dixit Christus Dominus Joan. XX. v. 23. *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis: et*

ille, qni habet jurisdictionem sive ordinariam, sive delegatam (1).

Q. *Potest ne aliqnando simplex Sacerdos hoc Sacramentum administrare?*

R. In articulo mortis, et quando non adest Sacerdos approbatus, certum est ex Tridentino, quod possit (2). An vero possit etiam in periculo mortis, dissident inter se Theologi (3). Verum probabilius videtur, quod possit; dummodo tamen tale periculum sit adeo grave, ut vix ab articulo distingui possit (4).

Q. *Supplet ne aliquando Ecclesia defectum jurisdictionis in Sacerdote?*

R. Supplet, modo haec duo concurrunt; error nempe communis, et titulus coloratus (5): An au-

---

quorum retinueritis retenta sunt. Unde Tridentin. Sess. XIV. Can. 10. inqnit: *Si quis dixerit, non solos Sacerdotes esse Ministros absolutionis, sed omnibus, et singulis Christi fidelibus esse dictum: Quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in Caelo . . . anathema sit.*

(1) Ita ex eodem Trid. cit. C. 7. a quo statuitur, *nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, vel subdelegatam non habet jurisdictionem.*

(2) Sess. cit. Cap. 7.

(3) Buonocore de Sac. Poeni,. §. VIII.

(4) Vid. Concina de Sacr. Paen. Cap. IV. q. 3.

(5) Quando scilicet quis communiter existimetur Sacerdos, et legitime Confessarius, cum talis revera non sit; vel habet titulum Parochi, ex. gr., de quo ob delictum occultum est incapax; et interim fideles putant communiter, illum vere talem titulum habere. Esto autem in talibus circumstantiis Ecclesia pia Mater suppleat defectum jurisdictionis, semper tamen graviter peccat Sacerdos, qui administrat Sacramentum Poenitentiae sine jurisdictione.

tem haec duo simul concurrere debeant, vel unum sufficiat, litigium est inter Doctores.

Q. *Potest ne simplex Sacerdos absolvere licite, et valide fideles a venialibus?*

R. Neque licite, neque valide potest. Non licite, quia id ab Ecclesia vetitum est (1); non valide, quia caret jurisdictione requisita ad impartiendam absolutionem.

Q. *Incidit ne in aliquam poenam Sacerdos, qui extra casum necessitatis, absolvit sine facultate?*

R. Affirmative. Nam si est Sacerdos Regularis, ipso facto incidit in excommunicationem (2). Si vero est saecularis, praeter dictam excommunicationem, in dioecesi Neapolitana, incidit in poenam carceris formalis, Ordinarii arbitrio (3).

Q. *Quid dicendum de illis, qui falsas pagellas formant, aut illis utuntur?*

R. Isti tales, si sunt Sacerdotes, praeter dictam excommunicationem, incidunt in poenam triremium, ad quinquennium (4). Si vero sunt Clerici nondum

---

(1) *Non permittant Episcopi*, ait Innocentius XI. in Decreto edito Anno 1679, *ut Confessio venialium fiat simplioi Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario.*

(2) Ita ex decreto Sacrae Cong.

(3) Ita Synod. Dioeces. de Sacram. Poenit. Cap. V. §. III. his verbis: *Nullus Sacerdos potest Poenitentiae Sacramentum administrare, nisi a nobis approbatus facultatem obtinuerit, uti statuit Concilium Tridentinum* (Sess. XXIII. de Ref. Cap. 15); *qui vero contra fecerit, si Regularis sit, excommunicationem ipso facto incurrat, juxta Decreta Sacrarum Congregationum; si vero saecularis, praeter eandem excommunicationem, in poenam etiam carceris formalis, arbitrio nostro, incidat.*

(4) Ita ex Synodo Neap. cit. §. 4.

Sacerdotes; sunt degradandi, et brachio saeculari tradendi (1).

Q. *Quaenam approbatio requiritur, ut quis hoc Sacramentum possit administrare?*

R. Necessaria est approbatio Episcopi illius Dioecesis, in quo Sacerdos debet Confessiones excipere (2).

Q. *Potest ne Sacerdos audire Confessiones subditorum alterius Dioecesis, in Dioecesi, in qua est approbatus?*

R. Potest; imo potest eos etiam absolvere a casibus in illorum Dioecesi reservatis; dummodo tamen ei constet, illos in fraudem Reservationis a propria Dioecesi non discessisse, ut absolverentur (3).

Q. *Potest ne Sacerdos, injuste ab Episcopo reprobatus, valide Confessiones excipere?*

R. Non potest; et oppositum est ab Alexandro VII. damnatum (4). Quia semper verificatur, quod jurisdictione careat.

Q. *Potest ne Religiosus iter agens confiteri simplici Sacerdoti?*

R. Quoties Religiosus, ex obedientia sui Superioris iter agit, potest ex Xisti V. privilegio, confiteri simplici Sacerdoti sui Ordinis. An autem in defectu Sacerdotis sui Ordinis, possit etiam confiteri cuicumque alio Sacerdoti saeculari, quidquid alii dixerint, ex

---

(1) Ex Const. 8. Clem. VIII. *Etsi alias*; et Urbani VIII. Const. 89. incip. *Apostolatus*.

(2) Ita ex Trid., et Constitutione Clem. X. *Superna*.

(3) Constit. Clem. XI.

(4) Prop. 13. quae sequens est: *Satisfacit Praecepto annuae Confessionis qui confitetur Regulari, Episcopo praesentato, sed ab eo injuste reprobato.*

privilegio Innocentii VIII. (1) satis patet, posse.

Q. *Possunt ne Regulares, sine Episcopi approbatione absolvere saeculares in eorum domibus degentes?*

R. Si saeculares sunt de illorum familia; hoc est continuo cum ipsis habitant, et eadem fruuntur mensa, possunt; aliter non possunt (2).

Q. *Episcopus, vel Parochus possunt ne extra Dioecesim absolvere proprium subditum?*

R. Possunt, dummodo tamen id sine scandalo fiat; Ipsi enim jurisdictionem habent in subditos, ubicumque morantur (3).

Q. *Quaenam sunt Confessarii Officia?*

R. Quatuor praecipue; scilicet; 1. *Ministri*; 2. *Doctoris*; 3. *Judicis*; *et* 4. *Medici.*

Q. *Quaenam requiruntur in Confessario ut digne, et licite Sacramentum Poenitentiae administret?*

R. Tria praecipue; scilicet 1. *Scientia suffi-*

---

(1) Cujus haec sunt verba: *Nos igitur fratribus hujusmodi, qui itinerari, et per eorum Superiores mitti contingerit, ut si aliquis praesbyterorum idoneus ex professoribus dicti Ordinis haberi non possit, quemcumque alium praesbyternm idoneum Religiosum, vel Saecularem eligere valeant, qui Confessiones eorum audire licite possit.*

(2) Ex Bulla Clementis VIII. *Superna.*

(3) Ita ex Decl. Sacrae Congreg. die 5. Decem. 1707.

ciens (1); 2. *Probitas vitae* (2); et 3. *Prudentia* (3).

Q. *Quaenam scientia requiritur in Confessario?*

R. Scientia saltem mediocris; qua scilicet noscat distinguere inter malum, et bonum, peccatum mortale a veniale, quando possit, vel non possit abso-

---

(1) Confessarius enim est Magister, qui docere debet fideles, quae recta sunt, ut illa agant; quae vero mala, fugiant, et toto corde detestentur. Hoc enim sine scientia Legis divinae, et Christianae moralis facere non potest; Ulterius est Medicus; Unde scire debet animarum morbos; discernere inter lepram, et lepram, et opportuna remedia pro morborum qualitate praebere. Tandem est judex: quomodo ergo recte judicabit sine Legis peritia?

(2) *Sine* enim *exemplo nihil discitur*, *aut docetur*. Et sane, ait Ecclesiast. Cap. XIV. *Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit?* Deinde debet Confessarius poenitentes arguere de peccatis commissis; quomodo autem id cum fructu faciet si ipse est improbus? *Qui enim alium de peccato arguit*, scribit S. Isidorus Lib. VIII. Offic. ad S. Fulgentium Cap. V., *ipse a peccato debet esse alienus. Nam qua fronte subjectos arguere poterit, cum illi statim possit correptus ingerere ante doce te, quae recta sunt? Primitus quippe semetipsum corrigere debet, qui alios ad bene vivendum admonere studet, ita ut in omnibus semetipsum formam vivendi praebeat, cunctosque ad bonum opus et doctrina, et opera prevocet.*

(3) Et sane si omnibus necessaria est prudentia in rebus etiam temporalibus, et officiis peragendis, quanto magis necessaria est Confessario, qui semitas justitiae poenitentibus ostendere debet; illos a peccatis retrahere, et in semitam rectam divinorum mandatorum reducere? Confessario inquam, qui salutis negotium agere debet cum omni personarum genere, viris nempe, ac mulieribus, senibus, atque adolescentibus, divitibus, pauperibus, sapientibus, atque insipientibus.

lutionem impartiri (1). Hinc, ex communi Doctorum sententia, tenetur scire quid sit peccatum veniale, et
» quid mortale; quaenam sint circumstantiae speciem
» peccati mutantes. Scire tenetur Casus, et Censuras,
» a quibus nequit absolvere. Tenetur scire obligatio-
» nes, scilicet restitutionis, satisfactionis, denuncia-
» tionis peccatis adnexas. Insuper tenetur scire regu-
» las communes, quibus quis excusari potest a prae-
» cepto, vel peccato; nec non quae requiruntur ad
» legitimam, et licitam administrationem hujus Sa-
» cramenti; et alia, quae pro necessaria scientia
» Confessarii a Doctoribus assignantur. Sed melius de hac re consul. Encycl. Bened. XIV. die 26 Junii 1749 p. 21. T. III. Bullar p. 155. Edit. Rom.

Q. *Si quis bona fide confitetur Confessario ignoranti, tenetur alteri Sacerdoti iterum confiteri?*

R. Non tenetur, quia tam ex parte sui, quam ex parte Sacerdotis valide recepit absolutionem. Ex parte sui, quia, ut supponitur, rite sua peccata confessus est; ex parte Sacerdotis, quia est adprobatus et habuit intentionem absolvendi (2).

Q. *Quaenam vitae probitas in Confessario requiritur?*

R. Ut absque laethali peccato Sacramentum administret; alias mortaliter peccat contra reverentiam tanto Sacramento debitam; ut sit honestae vitae, et aliis scandalo non sit suis pravis moribus.

Q. *In quo consistit Confessarii prudentia?*

R. » Prudentia Confessarii circa Poenitentes,

---

(1) Ita ex Cap. de Poenit. D. 6. §. Cavent. *Oportet sciat cognoscere quidquid debet judicare, judiciaria enim potestas hoc exigit, ut quod debeat judicare discernat.*

(2) Vid. Ferraris V. Poenit. Sacr. Art. 12. numero 142.

» maxime in his consistit, verbis utor P. Lucii Fer-
» raris (1), ut discernat conditiones, et qualitates
» personarum; non enim omnes eodem modo, et te-
» nore excipiendae sunt; sed aliae maxima cum be-
» nignitate, et humanitate monendae, aliis opportune
» est suadendum, aliis importune insistendum; aliis
» beneficium absolutionis differendum, aliis immediate
» impendendum; aliis mitiores, et leviores ob eadem
» et similia peccata sunt poenitentiae imponendae, et
» aliis graviores, dummodo non sint, plusquam par
» est, atroces, et arduae, ne cum illi compescere
» student delinquentes, ipsos in desperationem con-
» jiciant, ita ut graviori, ne dicam gravissima mala
» perterriti, onus universum projiciant. Prudentia
» Confessarii est, ut omnibus omnia sit factus, sit
» pro diversis diversus Medicus, diversus Doctor, di-
» versus Judex etc.

Q. *Quomodo se gerere debet Confessarius cum ignorantibus Mysteria fidei, consuetudinariis, recidivis, et in proxima occasione existentibus?*

Ante responsionem praemittendum est; 1. quod consuetudinarius dicitur ille, qui peccat ex usu, et habitu; 2. Recidivus dicitur ille qui post poenitentiam, in idem relabitur peccatum; 3. ille dicitur esse in occasione proxima peccandi, qui est in probabili periculo peccandi, vel verosimiliter est peccaturus. His positis.

R. Confessorius debet denegare absolutionem ignorantibus Mysteria Trinitatis, et Incarnationis; et oppositum est damnatum (2); item, ordinarie lo-

---

(1) V. Confessarius Art. I. n. 59 et seq. Vid. etiam Busembau Lib. VI. Tract. Cap. III. dubio V. et VI.

(2) Innocentius namque XI. Anno 1679. hanc n., 64. damnavit propos. *Absolutionis capax est homo quan-*

queudo, etiam illis, qui sive culpabiliter ignorent reliqua Mysteria fidei, ab omnibus, ex necessitatis praecepto scienda, et credenda (1). Pariter eam denegare debet illis, qui in occasione proxima versantur, eamque nolunt deserere (2). Consuetudinariis vero qui nondum efficaciter conati sunt eam emendare, etiamsi emendationem promittant, debet differre absolutionem donec habitum vitiosum sic vicerint, ut proximum, seu probabile periculum peccandi sublatum sit (3). Recidivis tandem, etiam differri debet absolutio donec dederint verae poenitentiae sigua (4).

---

tumvis laboret ignorantia Mysteriornm fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat Mysterium SS. Trinitatis, et Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.

(1) Excepto tameu mortis periculo.

(2) Isti namque, verum propositum non peccandi de cetero, non habere, satis ostendunt; quia ex D. Bernardo Ser. 1. ad Pascha: n. 7. *Verae compunctionis judicium est opportunitatis fuga, et subtractio occasionis.* Ultraquamquod idipsum nolle peccandi occasionem relinquere, est periculum peccandi amare, atque hinc actualiter peccare, juxta illud Eccl. III. v. 27. *Qui amat periculum, in illo peribit.* Jure propterea damnata est ab Innocentio XI. sequens propositio n. 61. *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, et non vult omittere.*

(3) Id confirmatur ex eodem Innocentio XI., qui hanc damnavit propositionem n. 60. *Poenitenti habenti consuetudinem peccaudi contra legem Dei, Naturae, aut Ecclesiae, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est deneganda, nec differenda absolutio; dummodo ore proferat se dolere, et proponere emendationem.*

(4) Qui enim saepe post poenitentiam in eadem peccata relabitur, satis ostendit, se de illis non sincere habuisse dolorem. Siquidem, S. Isidori judicio: *Irrisor est, qui adhuc agit quod poenitet; nec videtur Deum poscere subditus, sed subsannare superbus.*

Q. *Tenetur ne Confessarius interrogare poenitentem in Confessione?*

R. Tenetur, et maxime, si id expedire judicaverit, vel quia poenitens non est satis instructus de modo rite confitendi, vel alia rationabili de causa; ita ut confessio non foret integra, summa tamen cautela, et discretione (1), prae oculis habens poenitentium aetatem, statum, sexum, conditionem, atque exercitium (2).

Q. *Si Confessarius scit paenitentem commisisse peccatum, de quo in confessione non se accusavit, potest ne illum de tali peccato interrogare?*

R. Si Confessarius certo scit tale peccatum fuisse a poenitente commissum, et nunquam alias rite confessum, nec habere rationabilem causam, illud occultandi, tenetur de tali peccato poenitentem interrogare, si ille negat, non debet eum absolvere, quia est indispositus; alias debet eum absolvere (3).

Q. *Quid si peccatum quod poenitens tacet, Confessarius sciverit ex Confessione alterius?*

R. Quidquid alii dicant, consultius est, quod

---

(1) Audiatur Seraphicus Doctor in Confessionale C. 2. p. 2. « Sacerdos incipiat audire Confessionem. Inter- » rogando, si peccator nesciat confiteri, et adjuvando per » inquisitionem, discrete tamen, ita quod sollicitus sit usi- » tata peccata singulatim perqnirere, inusitata vero per » circumstantias generales, et valde remotas caute inve- » stigare, ne inespertis detur materia, vel occasio, quod » ante nesciverant perpetrandi, sicut aliquoties contingit » ex quorundam insipientium Confessorum interrogatio- » nibus, taliter autem indiscrete interrogantes, non sunt » vitiorum evulsores, et destructores, sed potius aedifica- » tores, et plantatores etc. »

(2) Videatur de hac re P. Cuniliati, de Sac. Poen.

(3) Buonoc. de Sacram. Poen. §. IX.

Confesssarius poenitentem in tali casu non absolvat, et Deo per orationem se commendet, ut medium suggerat, quo possit absolutionis negationem occultare.

CAPUT VI.

De Confessionis Sacramentalis Sigillo.

Q. *Quid est sigillum Sacramentale?*

R. Est strictissima obligatio, quam habet Confessarius, reticendi omnia, quae dicta sunt ei in ordine ad Sacramentalem Confessionem.

Q. *Quo jure servandum est Sacramentale sigillum?*

R. Omni jure; nempe jure Naturae (1); Jure Divino (2); et Jure Ecclesiastico (3).

Q. *Quinam obligantur ad servandum sigillum?*

R. Obligantur primo, et principaliter Confessarii, deinde obligantur adstantes, si forte quidpiam audierint dum poenitens confitebatur. Item confessionis interpretres; et juxta plurimos Doctores, etiam illi obligantur, qui casu invenerint chartam, in qua scripsit poenitens sua peccata, ne in confessione, de aliquo oblivisceretur, eamque legerint. Praeter hos, alios quoque ad sigillum sacramentale teneri, docent Doctores (4).

Q. *Ex confessione ficta oritur ne in Confessario obligatio servandi sigillum?*

---

(1) Idque ex vi contractus impliciti, quo reticenda sunt omnia, quae alteri sub secreto manifestantur.

(2) Uti constat ex perpetua traditione, et usu Ecclesiae.

(3) Sicuti patet ex poenis contra sigilli violatores statutis. Vid. Ferroris *V. Sigillum* n. 1. et seq.

(4) Verum de illis consul. cit. P. Ferraris n. 4. et seq.

R. Negative. Talis enim Confessio non est Sacramentalis. Hinc si quis accederet ad Confessarium fingens se velle confiteri, revera tamen vel ad furandum, vel illudendum, vel pervertendum, sigilli obligatio non inducitur. Attamen in tali casu adhuc Confessarius prudenter debet tacere (1).

Q. *In quam poenam incidit Confessarius, qui sigillum Sacramentale violat?*

R. Incidit in poenam depositionis ab Officio sacerdotali, et detrusionis in arctum Monasterium ad faciendam ibi perpetuo poenitentiam (2).

Q. *Quotuplici modo potest violari sigillum?*

R. Duplici modo; *directe* nempe, et *indirecte*. Directe quando Confessarius expresse manifestat peccatum in confessione auditum; vel aliquid aliud, quod cadit sub sigillo. Indirecte vero, quando verbis, vel signis ita se gerit, ut aliquis venire possit in cognitionem peccati confessi.

Q. *Si peccata sunt quidem publica, sed illa Confessarius scit ex sola Confessione, tenetur ne ad sigillum?*

R. Maxime; quia Confessarius, illa ex sola Confessione cognoscens, sub sigillo ea tenetur occultare.

Q. *Peccata venialia cadunt ne sub sigillo?*

R. Si loquimur de venialibus in genere, non cadunt. Statim enim ac quis ad confitendum accedit,

---

(2) Busem. de Poen. Cap. III. dubio 1. cit. Dian. p. 5. c. 3. R. 8.

(3) Ita habetur in capite *Utriusque sexus 12. de poenitentiis, et remissione*, cujus haec sunt verba: *Qui peccatum in poenitentiali judicio sibi detectum praesumpserit revelare, non solum a Sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam poenitentiam in arctum Monasterium detrudendum.*

et absolutionem consequitur, manifestum fit, peccata saltem venialia fuisse confessum (1). Si vero loquimur de venialibus in particulari, utique cadunt sub sigillo.

Q. *Praeter peccata, sunt ne alia, quae cadunt sub sigillo?*

R. Cadunt omnes circumstentiae, et alia omnia, quae ad explicationem peccati in Confessione dicta sunt.

Q. *Potest ne Confessarius extra Confessionem, loqui cum poenitente de auditis in Confessione?*

R. Stante justa causa potest, at cum expressa licentia poenitentis, ab eo libere obtenta. Alias enim multum odiosa redderetur Confessio (2).

Q. *Datur ne Casus, in quo licitum sit violare sigillum?*

R. Nullus omnino dari potest hujusmodi casus; ita ut etiamsi omnia mala hujus mundi, cujuscumque sint generis, debeat subire Confessarius, imo etiamsi totus periclitaretur Orbis, numquam licet Confessario sigillum Sacramentale frangere (3).

Q; *Potest ne Confessarius, extra Confessionem uti scientia ex Confessione acquisita?*

R. Si ex tali usu nulla timetur sigilli violatio, vel nullum poenitenti gravamen; et tunc potest; Si vero revelatio, saltem indirecte, haberetur, aut gravamen poenitentis, tunc non potest. Hoc enim in casu, semper redderetur Confessio poenitenti odiosa.

---

(1) Nemo enim, nisi ex specialissimo Dei beneficio, tam justus est, qui in venialia non cadat. Unde Scriptum est: *Septies in die cadit justus.*

(2) Ita communiter. Consul. tamen Ferrar. cit. n. 18.

(3) Quae ulterius de hac materia notanda forent, vide apud Ferr. cit. n. 14. aliosque.

Q. *Duo Confessarii ejusdem poenitentis possunt ne invicem sibi consulere de auditis in Confessione?*

R. Sine expressa licentia poenitentis non possunt; ut per se patet.

CAPUT VII.

De Reservatione.

Q. *Quid est Reservatio?*

R. Reservatio est restrictio jurisdictionis a Superiore facta Sacerdoti, in ordine ad aliquod peccatum, vel censuram.

Q. *Datur ne in Ecclesia potestas reservandi?*

R. Affirmative, uti patet ex Scriptura (1), et declaratione Concilii Tridentini (2).

Q. *Quaenam peccata reservantur?*

R. Peccata mortalia graviora, et atrociora, quae sunt certa, externa, et opere consumata (3).

Q. *Quinam in Ecclesia potestatem habent reservandi peccata?*

R. Summus Pontifex respectu totius Ecclesiae; Episcopus respectu propriae totius Dioecesis; Praelati habentes proprium territorium independentem, et ju-

---

(1) Christus namque, dicens Discipulis suis: *Quaecumque ligaveritis super terram erunt ligata et in Caelo, et quaecumque solveritis super terram erunt solut et in Coelo*, satis ostendit, talem dedisse potestatem.

(2) In quo Sessione XIV. Can. 2. legitur: *Si quis dixerit Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi ad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos a reservatis vere absolvat; anathema sit.*

(3) Ita ex Concilio cit. Sess. XIV. Cap. 7.

risdictionem quasi Episcopalem (1). Nec non Praelati Regulares, uti Generales, et Provinciales, qui jurisdictionem quasi Episcopalem habent.

Q. *Est ne valida reservatio si illicite fuerit facta?*

R. Utique est valida, quia semper verificatur, quod in Confessario desit jurisdictio; Unde invalide daretur absolutio.

Q. *Si quis habens peccatum reservatum, de eo obliviscitur in Confessione, remanet ne illud immune a reservatione?*

R. Si oblivio fuit culpabilis, aut confessio facta fuit apud Confessarium non habentem facultatem in reservata, et tunc immune non est peccatum illud a reservatione. Si veco oblivio fuit inculpabilis, et Confessio facta fuit Confessario facultatem habenti, et tunc, juxta aliquos, non remenet reservatum; juxta alios vero remanet.

Q. *Si quis absolvitur a reservatis a Confessario facultatem non habente, tenetur ne denuo confiteri Confessario, talem facultatem habenti?*

R. Si id fecit bona fide, tenetur alteri Confessario habenti jurisdictionem, sola peccata, quae sunt reservata, confiteri: si vero id egit mala fide, et tunc tenetur omnia peccata sua denuo confiteri alteri Sacerdoti, jurisdictionem habenti.

Q. *Potest ne simplex Confessarius absolvere poenitentem a non reservatis, et illum remittere ad Superiorem, ut a reservatis absolvatur?*

---

(1) Ita expresse a Tridentino definitum fuit Sess. XIV. Can. 2. his verbis: *Si quis dixerit Episcopum non habere jus reservandi sibi Casus*, etc. ut supra, *anathema sit.*

R. In aliqua magna necessitate, scilicet tuendae vitae, vel servandae famae, potest; quia stante justa causa, ut supra dictum est, quis excusatur a Confessione materiali.

Q. *Potest ne peregrinus absolvi a peccatis in proprio domicilio non reservatis, quando sunt reservata in Dioecesi Confessarii, et Confessarius facultatem non habet absolvendi a reservatis?*

R. Non potest; Quia Confessarius caret facultate, et peregrinus tunc, in ordine ad Confessionem, judicatur uti subditus, et ut incola illius loci

Q. *At si peregrinus habens peccata in sua Dioecesi reservata, pergit ad alienam Dioecesim, ubi non sunt reservata. ibique confitetur, potest ne absolvi a simplici Sacerdote?*

R. Si hoc facit in fraudem reservationis; hoc est causa effugiendi reservationem peccati commissi, et tunc non potest. Si vero id facit sine fraude, in bona fide, et tunc absolvi potest (1).

Q. *Quomodo dicta fraus intelligi debet?*

R. Hoc sensu, cum illud delictum, aliquo pacto sit deductum ad forum contentiosum proprii Episcopi, non vero quando penitus est occultum.

Q. *Potest ne Peregrinus censura ligatus, absolvi a Confessario alienae Dioecesis?*

R. Si censura est a jure, et non reservata, potest (2). Si vero est ab homine, et non potest.

---

(1) Id patet expresse ex Constit. Clementis VIII. *Superna*, in qua ita habetur: *Posse Confessarium in ea Dioecesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia Dioecesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem Confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem poenitentes noverit in fraudem reservationis in alienam Dioecesim pro absolutione obtinenda migrasse.*

(2) Ita ex Cap. 29. *Nuper* de Sent. Excommunic. in 6.

Q. *Cessat ne reservatio, quando Confessio de reservatis facta Sacerdoti habenti facultatem, fuit invalida?*

R. Si fuit invalida ex culpa poenitentis, et tunc non cessat, quia absolutio fuit nulla; Si vero sine culpa poenitentis, et tunc aliqui dicunt cessare, alii negant (1).

Q. *Facultas absolvendi a reservatis extenditur ne ad reservata commissa in confidentiam talis facultatis?*

R. Dummodo in tali facultate nulla sit limitatio, extenditur. Si vero adest limitatio, uti in Bulla Cruciatae, et tunc non extenditur.

Q. *Possunt ne Episcopi in propria Dioecesi absolvere a casibus Papae reservatis?*

R. Possunt; dummodo tamen delicta non sint deducta in forum contentiosum, et sint occulta (2); imposita tamen poenitenti salutari poenitentia.

Q. *Confessarii Regulares approbati, possunt ne absolvere saeculares a Casibus, et Censuris Papae reservatis?*

R. Absolvere possunt ab omnibus Casibus Papae reservatis; exceptis quinque, contentis in Bulla Coenae (3).

Q. *Quinam sunt hi quinque Casus Bullae Coenae, a quibus non possunt Confessarii Regulares absolvere?*

R. Sunt sequentes; nempe 1. *Schisma*; 2. *Haeresis cum relapsu*; 3. *Falsificatio litterarum Apostolicarum*; 4. *Delatio prohibitorum ad Infideles*; et 5. *Conspiratio in Romanum Pontificem.*

---

(1) Vid. Buonocore §. de Reservatione.

(2) Ita ex Trid. Sess. XXIV. Cap. 6. *Liceat.*

(3) Ita ex Const. Pauli III. quae incipit. *Cum inter cunctas* 3. Iulii 1525.

Q. *Quam facultatem habent Praelati Regularium circa Casus Papae reservatos?*

R. Praelati Regulares; Generales nempe, et Provinciales, quoad suos subditos, habent facultatem, eos absolvendi ob omnibus casibus, a quibus possunt Episcopi suos Dioecesanos absolvere (1). Imo possunt eos absolvere etiam ab omnibus casibus in Bulla Coenae contentis, exceptis quinque mox expositis (2).

Q. *Quare facultatem tam amplam dederunt Pontifices Praelatis Regularibus.*

R. Eam ipsis concesserunt. *Ut dicti Ordinis professoribus*; verba sunt Pontificiae ipsius concessionis, *omnis vagandi tollatur occasio, et ad Sedem Apostolicam recurrendi subtrahatur, pro posse, necessitas etc.* (3).

Q. *Quotuplicis generis sunt Casus a Pontifice reservati?*

R. Triplicis sunt generis; nempe *generales*, *speciales*, et *specialissimi*. Primi sunt illi, qui in corpore Juris continentur, et a quocumque Confessario approbato, facultatem generalem absolvendi omnes casus Pontifici reservatos habente, absolvi pos-

---

(1) Ita ex onst. S. Pii V. Cinc. *Romani Pontificis.*

(2) Ita ex variis Summorum Pontificum Constitutionibus; uti Sixti V. incip. *Regiminis.* Iulii II. incip. *Exponi nobis* Pauli. III. incip. *Licet debitum*, et S. Pii V. incip. *Dum ad Congregationem Cassinentium* etc.

(3) Hinc merito Concinus Rotae Decanus, et Sacrae Poenitentiariae Regens; consultus sub quibusdam casibus a diversis Regularibus propositis, respondit: *Miror quod vos ad Sacram Poenitentiariam confugiatis, cum in vestris privilegiis majorem Poenitentiaria facultatem habeatis.* Vid. Ferraris V. Absolutio Art. I. num. 29. et sequen.

sunt; Secundi sunt illi, qui sine speciali facultate absolvi nequeunt. Tertii tandem, qui ut absolvantur, specialissima facultate opus est.

Q, *Quot sunt hujusmodi Casus specialissimi*?

R. Sunt quinque; hoc est tres cum excommunicatione, et sunt sequentes; 1. *Haeresis externata* 2. *Absolutio complicis*; *et* 3. *fractio Clausurae facta a Moniali ad turpem finem*. Duo autem alii sine excommunicatione, qui sunt; 1. *Donatio gratuita ultra decem accepta a persona religiosa*; *et* 2. *falsa accusatio de crimine sollicitationis adversus Sacerdotem*.

Q. *Quid requiritur ut donatio supradicta gratuita sit reservata*?

R. Duo raquiruntur; nempe 1. Ut donatio sit omnino gratuita; 2. ut sit sine licentia Superioris (1).

Q. *Si quis acceptam a Religioso restituit, cessat ne reseruatio*?

R. Utique cessat, uti constat ex Bulla Benedicti XIV.

Q. *At si quis est impotens ad restituendum*?

R. Iste talis, potest absolvi praestita promissione jurata, restituendi, cum primum poterit, sub poena reincidentiae.

Q. *Si quis bona fide accipit talem donationem incurrit ne in casum*?

R. Non incurrit; sed statim ac venit in malam fidem, tenetur restituere quod accepit.

(1) Quare non incurritur talis reservatie, si donatio fuerit onerosa, veluti ob servitia praestita; remuneratoria, ob aliud a donatario acceptum; pietatis causa, de licentia Superioris; vel si fiat de rebus a superiore Religioso ad suum usum concessis.

Q. *Quid si quis accipit a Religioso donaria in fraudem?*

R. Iste talis, si donatio est de materia gravi, incurrit in casum; verum tamen absolvi potest a Cardinali Poenitentiario Majore, imposita aliqua eleemosyna facienda Monasterio; Si vero est de materia levi, dummodo materiae non coalescant; in casum non incidit.

Q. *Quinam sunt Casus a Clemente VIII. Pontifici reservati, qui dicuntur casus extra Urbem, et intra Italiam?*

R. Sunt sex, qui sequuntur; scilicet 1. violatio clausurae Monialium ad pravum finem; 2. violenta manuum injectio in Clericum, vel Monachum. 3. Simonia realis scienter contracta; 4. Simonia confidentialis; 5. Duellum; 6. Violatio immunitatis Ecclesiae circa confugientes ad Ecclesiam.

Q. *Incidit ne in aliquam poenam Confessarius qui sine debita facultate absolvit a reservatis?*

R. Si absolvit a reservatis Summo Pontifici extra Urbem, et intra Italiam, praetextu Privilegiorum, vel absolvit a Casibus Episcopo reservatis, et incurrit in excommunicationem Papae reservatam.

Q. *Possunt ne Confessarii electi, virtute Bullae Cruciatae absolvere poenitentes a Casibus Pontifici reservatis?*

R. Possunt, exceptis his qui sequuntur, nempe 1. *Haeresis externa, et formata* (1), inhabilitas, quam incurrit Confessarius ad absolvendum complicem in re venerea (2); 3. Excommunicatio contra-

(1) Uti ex declarat. Alex. VII. et Bened. XIV. in Encyclica.

(2) Ita ex Bulla ejusdem Benedicti: *Sacramentum Poenitentiae*.

cta ab eodem Confessario, absolvente complicem in eodem peccato (1); 4. Casus Simoniae in Ordine admissae, tam ex parte promoventis, quam promoti (2); 5. Casus ille, in quibus habetur expressa derogatio privilegiorum Cruciatae.

Q. *Quotuplicis generis sunt Casus Episcopales?*

R. Triplicis generis, scilicet 1. *Nobis*; 2. *A Nobis*; et 3. *Sibi*. Nobis sunt illi, qui a Sede Apostolica Episcopis sunt reservati, uti abortus foetus animati, percussio levis Clerici, vel Monachi etc. *A Nobis* sunt illi, qui a locorum Ordinariis reservantur. *Sibi* vero sunt illi, qui ab Ordinario ita reservantur, ut non intelligantur concessi, nisi de iis facta fuerit specialis mentio in concessione.

CAPUT VIII.

De Casibus in Dioecesi Neapolitana reservatis, quibus adnexa est etiam excommunicatio ipso facto incurrenda.

Q. *Quot sunt Casus in Dioecesi Neapolitana, quibus adnexa est etiam excommunicatio?*

R. Sunt numero sexdecim (3), in Tabella conscripti.

Q. *Quinam est primus Casus hujusmodi?*

R. Primus casus ita se habet: « Omnes utriusque sexus, et cujusvis status, aut dignitatis persona, quae Haereticorum cujuscumque Sectae Caetus adeunt, in quibus Conciones, et Catechismi, aut quicumque eorum ritus, praesertim a Sancta

---

(1) Ex eadem cit. Bulla.

(2) Ex Bulla Sixti V. incip. *Sanctum, et Salutare.*

(3) Vid. Synod. Dioec. P. II. Cap. VI. De Cas. Reserv.

» Catholica Romana Ecclesia damnati exercentur,
» quoties hujusmodi exercitis, quovis pretextu, et
» occasione, etiam simplicis curiositatis causa.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur ad hunc casum incurrendum?*

R. Tres conditiones; 1. scilicet ut fidelis, Caetus Haereticorum adeat; 2. Ut in illo Caetu exerceantur Conciones, Catechismi, aliique Ritus heterodoxi; 3. tandem ut fidelis assistat illis

Q. *Quid dicendum si Concio, Cathechismi, et Ritus haeterodoxi fiunt ab uno solo, vel ad summum altero haeretico praesente?*

R. Catholicus illis assistens peccat quidem mortaliter propter periculum amittendae fidei, at non incurrit excommunicationem, et reservationem, quia ad Caetum aliquem constituendum, saltem tres personae requiruntur.

Q. *At si fidelis a sua domo propinqua Caetum videt, vel audit Catechismum, vel Concionem haereticorum, incurrit ne excommunicationem?*

R. Utique incurrit; atque idipsum dicendum est si causa urbanitatis ad caenam nonnulli Haeretici in sua domo eum recipiunt, in qua sunt congregati, et Concionem, et Catechismum haereticum habent, quibus ipse Catholicus et assistit, et intersit, tunc in dictam excommunicationem incidit. Et ratio est, quia talis excommunicatio, ideo a Synodo statuta fuit, ne fideles perverterentur in fide; et ideo intelliguntur de assistentia cum accessu, et quocumque praetextu fiat.

Q. *Incidit ne in hanc excommunicationem, qui tali Caetui assistit, sed non intelligit idioma, nec aliquid de dictis in illo Caetu percipit?*

R. Non incidit, quia reservatio cadit super formalem, non vero materialem assistentiam. Unde in tali casu, quis habetur, ac si non assisteret.

Q. *Quis est II. Casus?*

R. Secundus Casus est hic. « Omnes personae » utriusque sexus, quae vel per se, vel per alium, » SS. Altaris Sacramento, Chrismate, Oleo Sacro, » sive alia quacumque re consecrata, ad veneficia, » Divinationes, sortilegia, aut ad alium usum, quam » fuerint ordinata, vel instituta quomodolibet abu- » tantur, omnis utriusque sexus, qui de praedictis » ad praedictos fines aliquid sumpserint, vel alicui » dederint, aut datum acceperint, etiam abusu mi- » nime secuto.

Q. *Quid hic venit nomine Olei sacri?*

R. Non venit Oleum infirmorum, sed illud, quod peculiari benedictione perficitur ad rerum consecrationem; et etiam Episcopornm, et Sacerdotum.

Q. *Quid hic intelligitur nomine rei consecratae?*

R. Intelligitur res consecrata in propria significatione; nempe res illa, quae Chrismatis, vel Olei Sancti unctione est delibuta (1).

Q. *Sacerdotes, et Ecclesiae etiam consecrantur; Ipsorum ergo abusus cadet sub reservatione?*

R. Negative. Nam in poenalibus, nomine rei, venit res consecrata, non vero locus, aut persona.

Q. *Ad quos refertur clausula illa*, etiam abusu minime secuto?

---

(1) Cujusmodi sunt Calices, et Patenae: Altaria pro Sacrificio Missae; Aqua fontis Baptismalis; cera ex qua componuntur Agni Dei, et alia hujusmodi, quia Oleo sancto potiuntur. Unde sacra Pixis, lunula, Corporale, Reliquiae Sanctorum; sacra suppellex, candelae benedictae, aqua lustralis, et similia, esto sint res sacrae, non dicuntur tamen, nec sunt consecrata, quia Oleo Sacro non potiuntur; adeoque in praesenti Casu non comprehenduntur.

R. Refertur ad illos, qui aliquid de praedictis vel sumpserint, vel aliis dederint, vel ipsi ab aliis acceperint. Ipsi enim, licet reipsa abusus non sequatur, incidunt in excommunicationem, et in hunc Casum reservatum. Atque idipsum est dicendum, si posito abusu, effectus intentus non sequatur. Non refertur tamen ad procuratores, si non sequatur acceptio; nec ad offerentes, si non sequatur traditio.

Q. *Incurrit ne hunc casum, qui abutitur frustulo de Altari evulso?*

R. Si frangit Altare, et frustulo ab Altare a vulso abutitur, incurrit; secus non.

Q. *Quinam est III. Casus?*

R. Est sequens: nempe. « Omnes utriusque se-
» xus personae, quae Daemoni spondent obsequium,
» thus, et Sacrificia offerunt, quamvis absque errore
» intellectus. Insuper quaecumque sive suo, sive al-
» terius nomine condunt, aut condere faciunt ima-
» gines, annulos, aut quidvis aliud artefactum, in
» quo Daemonem constringant.

Q. *Quaenam sunt materiae hujus Casus?*

R. Haec tria; scilicet 1. sponsio obsequii facta Daemoni; 2. oblatio thuris, et Sacrificii eidem Daemoni; et 3. confectio cujuscumque rei artificialis, in qua Daemon alligatur.

Q. *Quid est obsequium, et quotuplex?*

R. Obsequium generaliter acceptum, est officium, quo quis sequitur, et facit, quod alteri placiturum novit. Duplex autem est *civile*, nempe, et *Sacrum*. Primum est illud quod alicui exhibemus, salutando inclinando, caput aperiendo, uti fieri solet cum Superioribus, aliisque aliqua dignitate humana fulgentibus; atque etiam cum amicis. Secundum est illud, quod fit Deo.

Q. *Quinam in hunc casum incurrunt?*

R. Omnes illi qui vere, et animo sincero pro-

mittendi, obsequium sacrum Daemoni spondent, idque externe (1). Similiter non solum omnes illi, qui annulos condunt, vel condere faciunt ob finem in Casum expressum, sed et qui vendit annulum jam constructum, dummodo intervenit tractactus, et intentio alligandi Daemonem. Tandem illi, qui emunt annulum in quo, jam Daemon fuerat ab alio alligatus, dummodo emant animo illo abutendi.

Q. *Potest ne quis uti bonis, ratione obsequii, a Daemone acceptis?*

R. Vel sunt bona animi, uti virtus herbae aquae, lapides etc., modo effectus sit naturalis, et non requiritur concursus Daemonis; et tunc potest: Si vero sunt bona fortunae, non potest, quamvis non constet esse furtiva, quia non est bonum de Daemone supponendum; qui cum sit infensus hominum adversarius, praesumi non potest velle illis benefacere.

Q. *Quibus verbis quartus Casus exprimitur?*

R. His verbis: « Venefici, et Veneficae omnes, » et Negromantes, Divinatores, Sortilegi, Lamiae, » Striges, sive quovis alio nomine nuncupantur ex » utroque sexu, qui cum expressa invocatione Dae» monis, ad captandam dilectionem, vel odium concitandum, sive ad inveniendos thesauros, sive ad alium » finem quemcumque utantur Incantationibus, aliis» que maleficiis, sive etiam ligaturis, ut a naturali, » et legitimo Matrimonii usu conjuges avertant, aut » scienter in praefatis cooperantes, aut quovis modo » consentientes.

Q. *Incurrit ne in hunc casum, qui semel tantum praedictis criminibus dat operam?*

---

(1) Quare in hunc casum non incidunt, qui aut ficte, animo scilicet non promittendi; aut sine promissione praestant Daemoni obsequium, aut interne tantum promittunt.

R. Affirmative; et patet ex verbis Synodi hujus Dioecesis (1).

Q. *Quid dicendum de illis qui quibusdam anni diebus, et praecipue in Vigilia S. Joannis Baptistae, utuntur certis superstitionibus ad aliquid sciendum, vel obtinendum?*

R. Illos incidere in excommunicationem in corpore juris reservatam (2).

Q. *Qualis est quintus Casus?*

R. Hic qui sequitur: « Loquentes sine Nostra, » vel Vicarii Nostri licentia cum Monialibus in Mo- » nasterio, etiam exemptis, aut novitia sive educa- » tionis, sive alterius rei causa ibidem commore- » tur; conjunctis in primo vel secundo consanguini- » tatis gradu dumtaxat exceptis.

Q. *Qui obtinent licentiam loquendi cum aliqua praedictarum, potest ne, data opera, loqui cum aliis?*

R. Non potest, uti patet ex Synodi praedictae declaratione (3).

Q. *Quid dicendum de illis, qui cum aliqua ex praedictis, aut coram ipsis de rebus obscaenis per verba, aut actus impudicos praesentes egerint; absentes vero per literas, aut internuncios?*

---

(1) In eo enim ita expresse habetur: *declarmus autem ex supradictis criminibus in supradictis II. III., et IV. casibus contentis, excommunicationem reservatam ipso facto incurrere non solum eos, qui saepe, et ex arte hujusmodi criminibus operam dant, sed etiam eos, qui quomodocumqne, etiam semel perpetraverint.*

(2) Id expresse patet ex verbis praedictae Synodi Parte I. Cap. IX. *De Blasphemiis, Superstitionibus.*

(3) Cujus haec sunt verba, quae adduntur: De- » clarantes quod qui facultatem obtinuerit loquendi cum » aliqua praedictarum, non possit, data opera, et ex » professo cum aliis loqui.

R. Illi in eumdem Casum riservatum incidunt; sicut etiam incidunt illi, qui praedictas literas, et mandata detulerint (1).

Q. *Datur ne parvitas materiae in loquutione cum Monialibus?*

R. Docent non pauci, quod datur, dummodo tamen locutio non fuerit de obscoenis. At quaenam sit talis materiae parvitas, non satis constat.

Q. *Incidunt ne in hunc Casum Regulares loquentes cum Monialibus?*

R. Isti peccant quidem graviter, sed in Casum non incidunt; Possunt tamen ab Episcopo, tamquam Sedis Apostolicae delegato, coerceri sub excommunicationis, privationis vocis activae, et passivae, aliisque contra Regulares accedentes sine licentia ad Monasteria Regularium, statutis poenis (2).

---

(1) Ita enim sequitur laudata Synodus: « Insuper » ii praesertim, aut coram ipsis tam in Monasteriis, » quam Conservatoriis, seu Collegiis commorantibus, » de rebus obscoenis per verba, aut actus impudicos » praesentes egerint; absentes vero per literas et inter- » nuncios. Nec non viri, aut mulieres sive intra, sive » extra Monasterii claustra, ac septa, quae praedictas » literas, vel mandata detulerint.

(2) Ita Clemens XI., cujus haec sunt verba; *Sacra Congregatio declaravit, Regulares cujuscumque Ordinis, Militiae, Societatis, Congregationis, et Instituti, etiam de quibus specialis mentio foret habenda, qui ad Monasteria Monialium, quamvis ab Ordinarii jurisdictione quomodolibet exempta, et etiam ipsis Regularibus subjecta, vel aliis, speciali mentione digna, absque legitima facultate accedunt, colloquendo, etiam per quodcumque modicum temporis spatium cum Monialibus, aut aliis intra Clausuram degentibus, peccare mortaliter, eosque sub excommunicationis, privationis*

Q. *Quibus verbis sextus Casus expressus habetur?*
R. Sequentibus verbis; » Omnes in causa cri-
» minali, aut civili cum gravi damno alterius fal-
» sum deponentes, aut deponendum curantes, nec
» non inducentes ad falsum deponendum, falsisque
» testibus, depositionibus, Instrumentis, Scripturis
» tam publicis, quam privatis, quomodocumque u-
» tentes directe, vel indirecte in quavis Curia Civi-
» tatis, et Dioecesis Neapolitanae. Item quicumque
» falsum aliquod impedimentum Matrimonii dolose
» objecerint, nec non consilium, vel auxilium ad il-
» lud dolose objiciendum dantes. Falsificantes etiam
» cum gravi damno alterius, vel corrumpentes, falso,
» aut quae falsum continent, conficientes Apochas,
» Syngraphas, vulgo fedi di credito, e polizze notate
» in fede; sive instrumenta, processus, aut Scriptu-
» ras publicas, et authenticas; aut scienter his uten-
» tes, nec non mandantes, et cooperantes.

» Similiter praesentantes falsum, fictum, aut fi-
» duciarium patrimonium, aut quomodolibet fraudo-
» lentum pro Ordinibus suscipiendis, etiam pro pri-
» ma Clericali Tonsura, nec non consentientes, con-
» sulentes, aut quomodolibet concurrentes, sive coo-
» perantes. Declaramus autem, quod Clerici praesen-
» tati, quando absolvuntur, remanent ab exercitio
» susceptorum Ordinum suspensi, quam suspensionem
» nullus, nisi Nos personaliter, constituto reali pa-
» trimonio, et causa discussa, relaxare valeat.

» Praeter hos Actuarii, Subactuarii, Notarii,
» Scribae, qui cum alterius partis offensione, aut

---

vocis activae, et passivae, aliisque contra Regulares accedentes sine licentia ad Monasteria Monialium statutis poenis, posse ab Ordinario, tanquam Sedis Apostolicae delegato, coerceri.

» cum Reipublicae, aut legalis Justitiae detrimento,
» dolose auctam, vel diminutam informationem capiunt, et sic dicta testium scribunt; ac Nuncii, Cursores, aut alias nuncupati, qui in grave tertii praejudicium, falsum in acta referunt.

Q. *Quaenam est materia hujus Casus?*

R. Materia hujus Casus in quinque partes dividitur. Prima est quilibet falsitatis auctor in causa, sive sit deponens, sive ad id inducens consilio, mandato, favore, aut alio modo simili, sive utens depositione, vel scriptura falsa in praefata causa. Secunda est principalis objiciens falsum impedimentum adversus Matrimonium, et ad impertientes consilium, vel auxilium. Tertia est omnis falsificans, corrumpens, vel falsas Apochas conficiens, falsa Instrumenta, Processus, Scripturas publicas, aut authenticas, vel illis scienter utens, mandans, vel cooperans consilio, consensu, auxilio, vel alia simili ratione. Quarta est praesentatio falsi, ficti, vel fiduciarii Patrimonii. Quinta est omnis Actuarius, sive Subactuarius, Notarius, vel Scriba capiens informationem auctam, vel diminutam, omnisque Porterius, vel Cursor falsum referens in acta.

Q. *Quid venit nomine Patrimonii fiduciarii?*

R. Nomine Patrimonii fiduciarii venit Patrimonium illud, quod quis Clerico assignat, extorta promissione, illud restituendi statim post Ordinum susceptionem. Tali enim Patrimonio defraudatur finis Ecclesiae, quae in Clericis Patrimonium exigit, ut habeant unde honeste sustentari possint.

Q. *Dic verba Septimi Casus?*

En verba hujus Casus « Confessarii omnes etiam
» Parochi ad inhonesta, personam quamcumque sive
» in actu confessionis, sive ante, sive post immediate,
» aut praetextu, vel occasione Confessionis, etiam
» Confessione non sequuta, vel extra Confessionem

» in Confessionalibus sollicitantes, aut quomodolibet » cum iisdem impudice tractantes. Respectu Regula- » rium censuram suspensionis ab audiendis confessio- » nibus, quam ipso facto incurrunt, Nobis tantum- » modo reservamus (1).

Q. *Dic octavum Casum?*

R. Octavus casus est, qui sequitur « Pariter » Confessarii omnes, etiam Parochi, attentantes prae- » dictas personas, et quascumque alias, cum quibus, « extra praedictos casus, quomodolibet impudice ver- » sati fuerint, a peccatis, quorum ipsi complices » sint, nulliter absolvere; qui omnes, etiam Regu- » lares, etiam in censuram suspensionis ab audien- » dis Confessionibus, ipso facto incidunt, nobis tan- » tummodo reservamus (2).

Q. *Quinam est Nonus Casus?*

R. Est qui sequitur » Incestus cum conjuctis in » primo, vel secundo gradu consanguinitatis, vel » affinitatis; mulieres autem, si vere poenitentes » sint, a quocumque Confessario approbato absolvi » possunt, gravi tamen imposita poenitentia salutari; » dummodo occasio proxima, facta sit, salutaribus » mediis, moraliter remota (3).

Q. *Incurritur ne hic Casus si affinitas fuerit contracta ex copula illicita?*

R. Utique incurritur, quia talis affinitas ex co-

---

(1) Vid. in II. p. hujus Op. pag. 255. in N. 2.

(2) In ead. II. P. pag. 259. in N. 2.

(3) Itaque mulieres, quae sincerae poenitentiae signa non dederint, nec proximam peccandi occasionem dereliquerint, absolvi non possunt; et quidem non tantum vi reservationis, sed quia sunt indispositae, cum non habeant necessaria ad beneficium absolutionis obtinendum.

pula illicita est vera affinitas, inducens impedimentum dirimens Matrimonium ; adeoque copula cum persona, tali affinitate conjuncta, est verus incestus, et consequenter etc.

Q. *Dic Casum Decimum*?

R. Casus decimus est : « Qui contra dispositio- » nes Sacrorum Canonum, Clericos, quos noverint, » ad forum saeculare traxerint, etiam consentiente » reo; extra casus, hac in re, tum in Bulla Cae- » nae Domini, tum in Martini V. Constitutione ad » *reprimendas* Summo Pontifici reservatos ».

Q. *Quibus verbis Casus undecimus exprimitur*?

R. His verbis « Homicidia, et mutilationes mem- » brorum in ipsis Ecclesiis, Coemeteriis, ac Sacristiis, » aut publicis Oratoriis patrantes.

Q. *Incurritur ne in hunc Casum si homicidium fuerit indirecte voluntarium, vel mixte casuale*?

R. Juxta communiorem, et probabiliorem sententiam incurritur (1).

Q. *Quinam est Casus duodecimus*?

R. Est qui sequitur : Conficientes cujuscumque » generis venena in hominum perniciem, scienter » dantes, apponentes, vel quomodolibet propinantes, » sive ad hoc qualitercumque cooperantes, vel con- » sulentes, etiam non secuto effectu ».

Q. *Incidunt ne in hunc Casum pharmacopolae, qui conficiunt venena*?

R. Si ea conficiunt, et scienter vendunt ad hominum perniciem, utique incidunt; alias non (2).

---

(1) Vid. Buonoc. T. III. de Cas. ris.

(2) Caute tamen, et maxima circumspectione agere debent pharmacopolae, ut videant, et sciant, quibus, ad quid vendant praeparationes veneficae, et periculosae; nec sint faciles ad eas dandas, sine expressa in scriptis Medici cogniti petitione.

Q. *Quibus verbis tertiusdecimus Casus exprimitur?*

R. Sequentibus; videlicet: « Cujusvis conditio-
» nis personae, quae Libros in Civitatem, vel Dioe-
» cesim introducunt, vel scienter introductos tradunt,
» aut traditos recipiunt, sive etiam de eadem Civi-
» tate, et Dioecesi extrahunt, priusquam a Deputatis
» nostris fuerint recogniti. Similiter Bibliopolae, qui
» Bibliothecas emunt, non exhibito prius praedictis
» Deputatis emptorum librorum Catalogo, numquam
» absolvantur, quoadusque libros, sine praedictis re-
» quisitis introductos, aut emptos recognitioni sub-
» jerint. Typographi similiter, et eorum operarii, qui
» sine nostra, vel Vicarii nostri licentia, libros,
» aut cujuscumque generis folia imprimunt. Praete-
» rea Auctores eorum, si typis mandent, vel qui-
» cumque faciant.

Q. *Dic Casum quartumdecimum?*

R. » Qui in Paschate non communicantes ab
» aliis dolose accipiunt schedulas, sive chartulas,
» quae eo tempore distribui solent in Metropolitana,
» vel in Parochiis, ut fidem Parocho exhibeant de
» peracta communione. Item illi, qui easdem non com-
» municantibus quomodocumque accommodant, in
» fraudem, aut utcumque cooperantes.

Q. *Quinam est Casus quintusdecimus?*

R. Est sequens « Falsarii monetarum, videlicet
» ii, qui monetas quomodocumque vitiant; nimirum
» vel eas diminuendo, vel fundendo, aut imprimendo
» cum deteriori liga, aut sine legitimo Principis
» sigillo (1).

---

(1) Verba Casus clara sunt. Si quis autem majorem dilucidationem exquiret, adeat, qui de illo fusius sermonem habent. Inter quos Ciera etc. Vid. Buonocore T. III. de Cas. Res. etc.

Q. *Quinam est ultimus Casus?*

R. Est qui sequitur: « Sponsi et Sponsae, post » contracta Sponsalia, etiam privata inter se, et » ante Matrimonium legitime celebratum, carnalem » inter se copulam habentes; nec non parentes, con- » sanguinei; affines omnes, aut quicumque domus » curam habentes, eamdem carnalem copulam, vel » Sponsorum cohabitationem, vel pernoctationem, e- » tiam pro prima vice, permittentes ».

Q. *Quando Sponsi et Sponsae incidunt in hunc Casum?*

R. Incidunt solummodo si carnaliter cognoscant inter se, copula consumata, et perfecta; non vero si pernoctent, vel simul cohabitent.

Q. *Si copula inter Sponsos non sequitur, incurrunt ne in hunc casum omnes illi, qui Sponsorum pernotationem, vel cohabitationem permittunt?*

R. Utique incurrunt, uti verba Casus clare loquuntur.

CAPUT IX.

De Casibus reservatis absque Excommunicatione.

Q. *Quot sunt Casus in Dioecesi Neapolitana reservati absque excommunicatione: et recita primum Casum?*

R. Sunt septem; quorum primus est hic « Blas- » phemantes Deum, vel B. Virginem, ex perversa » consuetudine, coram pluribus supra quatuor.

Q. *Quaenam est hujus Casus materia?*

R. Est Blasphemia.

Q. *Quid requiritur ut Blasphemia sit reservata?*

R. Tria requiruntur; scilicet 1. quod Blasphemia sit directe vel in Deum, vel in B. Virginem

Mariam (1); 2. quod sit ex prava consuetudine (2); 3. quod proferatur coram pluribus, supra quatuor (3).

Q. *Profer secundum Casum?*

R. « Exercentes peccatum Sodomiae, vel cum » brutis coeuntes: ita tamen, ut in his luxuriae ca- » sibus, masculi tantum comprehendantur ».

Q. *Quaenam requiruntur ad incurrendum hunc casum?*

R. Duo; nempe Sodomia perfecta, et vere dicta, qualis est inter personas ejusdem sexus; et 2. Sodomiae hujusmodi exercitium (4).

Q. *Ad incurrendum talem Casum, quoad bestialitatem, requiritur ne frequentia copularum?*

R. Non requiritur frequentia; adeoque unicus congressus cum bellua sive mas sit, sive faemina, sufficit.

Q. *Quibus verbis expressus legitur tertius Casus?*

R. His verbis. « Confessarii omnes, etiam Cu- » rati ad obscaena quaslibet personas sibi frequenter » confitentes, licet non immediate post, vel ante » Confessionem inducentes, seu sollicitantes, vel cum » iisdem quomodolibet impudice tractantes ».

---

(1) Quare si quis in alios Sanctos Blasphemias protulerit, in hunc Casum non incidit.

(2) Unde si quis aliqnoties, et non ex consuetudine, talem profert Blasphemiam, esto graviter contra Religionem peccabit, in casum non incidet. Vid. dicta P. II. hujus pag. 88. 89.

(3) Hinc si quis privatim, coram uno, vel duobus, aut tribus, talem proferet Blasphemiam, nec etiam in hunc Casum incidit.

(4) Vid. dicta Parte II. hujus pag. 268. Hinc si quis semel, bis, aut etiam ter sodomiam commiserit, in hunc casum non incidit.

Q. *Quid intelligitur per ly frequenter* ?

R. Per ly frequenter, juxta nonnullos, intelligitur pro duabus viribus una die, vel duobus diebus continuis, non autem duabus vicibus in mense. Sanchez existimat esse frequentiam, quando semel singulis mensibus, vel ter tribus diebus continuis. Verum frequentia accipienda est juxta communem loquendi usum; adeoque prudentis arbitrio relinquenda, ut judicet, quando illa sit, nec ne.

Q. *Incurrit ne in hunc Casum Sacerdos, qui non provocat, sed consentit provocationi factae a poenitente* ?

R. Incurrit, quia semper verificatur, quod impudice tractaverit (1).

Q. *Quinam est quartus Casus* ?

R. Quartus Casus est hic : « Medici, qui visitantes in lecto infirmos, post tres dies a visitatione, » non curaverint, ut praedicti infirmi, peccata sua » idoneo Confessario confiteantur, aut alias non deseruerint, secundum terminos Constitutionum S. Pii V. » et Innocentii XI. »

Q. *In quanam infirmitate obligat tale praeceptum* ?

R. In sola infirmitate periculosa, et dubia, quae scilicet, possit probabiliter inducere mortis periculum, in quo infirmus tenetur confiteri, non vero in quacumque, etsi levi infirmitate.

Q. *Datur ne Casus in quo Medicus non deserit infirmum, qui recusat confiteri, et non incidit in Casum* ?

R. Datur, et est quando Medicus, ex infirmi derelictione, timeret grave damnum, aut malum sibi obventurum.

---

(1) Vid. P. II. hujus pag. 257.

Q. *Profer quintum Casum?*

R. En: « Debitores quorumcumque Piorum lo-
» corum, sive eorumdem debitorum Administratores,
» si intra mensem, etiam extrajudicialiter requisiti
» a Rectoribus, Procuratoribus, seu Administratori-
» bus dictorum locorum, redditus, et census non sol-
» verint ».

Q. *Quaenam est materia hujus Casus?*

R. Est peccatum mortale injustae detentionis annui census, aut redditus Piis locis debiti. Propterea requiritur, quod ipse debitor, vel ejus Administrator sit requisitus tempore debito, nempe quando venit dies debitae solutionis. Nam etsi solvere possit debitor creditori, nequit tamen antequam dies veniat. Sicuti excusatur debitor si requisitus, ratione impotentiae non solveret. Quia si ratione impotentiae excusatur a peccato, excusatur etiam a reservatione peccato adnexa.

Q. *Quodnam est subjectum hujus Casus?*

R. Est debitor ipse, vel ejus Administrator, qui a Loci pii Rectore, vel Procuratore, vel Administratore requisitus, est in mora culpabili solutionis non factae intra mensem, ut patet ex verbis casus. Idcirco si principalis debitor fuerit requisitus, et ipse est in mora, ipse reservationem incurrit; Si vero ejus Administrator fuit requisitus, et hic sit in mora, hic pariter, et non principalis debitor reservationem incurrit.

Q. *Quibus verbis exprimitur Casus Sextus?*

R. Sequentibus verbis: « Non absolvantur Con-
» cubinarii et Concubinae, etiamsi excommunicationis
» sententia in eos lata non fuerit, nisi facta reali
» separatione thori, et domus, per duos menses se
» continuerint; vel nisi certo, aut valde probabiliter
» constet, factos physice, aut moraliter impotentes

» ad reincidendum, aut paulo post esse inter se Ma-
» trimonium contracturos ».

Q. *Quid agendum si Concubinarii, necessitate sive physica, sive morali, debent simul cohabitare?*

R. In tali casu tenentur periculum illud proximum peccandi reddere remotum; et si hoc exequuntur, possunt absolvi. Si vero hoc non praestant, non.

Q. *Quibus mediis periculum proximum potest a Concubinariis reddi remotum?*

R. Jejuniis, orationibus, majori cautione simul conversando, ut numquam sint soli, numquam simul jocentur etc.

Q. *Quantum temporis importet illa clausula*: Paulo post esse inter se Matrimonium contracturos?

R. Varie sentiunt Theologi; quidam dicunt unum diem, alii duo, alii etiam tres. Dicendum tamen, nec unum diem esse, si proximum peccandi periculum subsistit; alias, si non ex defectu debitae jurisdictionis in Confessario, ex defectu debitae ipsorum dispositionis absolvi non possunt; quippe qui in proximo peccandi periculo versantur (1).

Q. *Quisnam est septimus Casus?*

R. Est hic: « Omnes utriusque sexus, qui a
» Dominica, Palmarum, usque ad Ascensionem Do-
» mine inclusive Paschalis Communionis praecepto
» in Cathedrali, vel in propria Parochia non satis-
» fecerint, interdicti poenam, ex Cap. *Omnes utrius-*
» *que sexus de poenitentia, et remissione*, ipso facto
» incurrunt, a Nobis, sive facultatem absolvendi a
» reservatis, vel Vicario nostro Generali habentibus
» tantummodo relaxandam, dummodo non fuerint
» nominatim denunciati ».

Q. *Quaenam est materia hujus reservationis?*

---

(1) Vid. P. II. hujus pag. 230.

R. Est omissio Communionis Paschalis.

Q. *Quodnam est subjectum?*

R. Est omnis persona sive mas, sive foemina ad Sacram in Paschate Communionem obligata (1).

Q. *Ad omnes praedictos Casus incurrendos quaenam aetas in subjecto requiritur?*

R. Requiritur aetas quatuordecim annorum jam completorum (2).

Q. *Praeter hos, datur ne alius Casus Archyepiscopo Neapolitano specialiter reservatus?*

R. Affirmative, et sequens est: « I Ministri » del Sacramento della Penitenza trovando le donne » colpevoli di essere abbigliate col farsi vedere col » petto, o seno scoverto, o braccia da sopra il go- » mito denudate, e gli Uomini, che abbiano ve- » stiti calzoni si stretti, ed attillati, o sì male fatti, » che offendono la nataral modestia; ed in fine li » sarti, che l'abbiano lavorati, e venditori li quali » gli smaltiscono, non gli assolvano, se prima non » abbiano, per lo spazio di due mesi, date chiare, e » non equivoche pruove di loro costante emenda; » eccettuati li soli gravemente infermi dell'uno, e » dell'altro sesso: riservando a noi soltanto la fa- » coltà di poterli assolvere, e di accordare ad altri » la stessa facoltà, prima di detto tempo, se le cir- » costanze, ed una esemplare emendazione il richie- » dessero ».

---

(1) Vide pag. 30.

(2) En verba Synodi: *Ante decimum quartum aetatis annum completum neminem censuris hisce, et casibus comprehendi volumus*. P. II. Cap. VI. de Casibus Reservatis.

CAPUT X.

De Indulgentiis, et Jubilaeo.

Q. *Quid est Indulgentia?*

R. Indulgentia, hoc loco (1). *Est remissio poenae temporalis debitae pro peccatis actualibus, quoad culpam jam remissis, facta extra Sacramentum ab habente facultatem, per applicationem thesauri Ecclesiastici* (2).

Q. *Datur ne hujusmodi Thesaurus Ecclesiasticus spiritualis satisfactorius?*

R. Datur (3); *et nihil aliud est, quam maximus quidam, et inexauribilis cumulus meritorum, et satisfactionum, quae Christo Domino, ejusque vivis membris superfuerunt, et in acceptatione, memoriaque Divina servantur, et in utilitatem Ecclesiae membrorum erogari possunt per legitimam Indulgentiarum concessionem.*

Q. *Quotuplex est Indulgentia?*

R. Duplex; *Plenaria* nempe, et *Partialis*. Prima est illa, quae remittit totam poenam pro peccatis remissis debitam; Altera, quae partem tantum; veluti unius anni, centum annorum, etc.

---

(1) Dicimus *hoc loco*; quia nomen Indulgentiae sumi etiam solet pro lenitate, vel condescendentia; quo sensu Apostolus Corinth Cap. VII. inquit: *Hoc autem dico secundum Indulgentiam, non secundum imperium.*

(2) De hac Indulgentia, ait S. Lucas Cap. IV. ex Isaia Cap. 61. *Praedicare captivis Indulgentiam; scilicet praedicare captivis remissionem.*

(3) Ita omnes Theologi Catholici ex perpetua traditione Ecclesiae, ex Concilio Trid. Sess. XXV. in decreto de Indulgentiis; atque ex Extravaganti *Unigenitus* apud Ferraris V. *Indulgentia* n. 4.

Q. *Quid intelligitur per remissionem poenae unius anni, septem annorum etc.*

R. Per id non designantur totidem dies, aut anni de Purgatorii poenis; sed totidem anni, aut dies de poenitentiis per Sacros Canones impositis aliquibus peccatis gravioribus. Adeoque per Indulgentiam, Ex. gr. centum annorum, tantum tolli durationi Purgatorii, quantum tolleret poenitentia centum annorum per sacros Canones imposita; quae quanta sit, Deus novit.

Q. *Quinam possunt Indulgentias lucrare?*

R. Omnes homines viatores baptizati, et in peccato lapsi.

Q. *Possunt ne plures Indulgentiae Plenariae unico actu lucrari?*

R. Negative. Nam si per Indulgentiam plenariam remittitur tota poena, peccatis jam remissis debita, inutiles proculdubio essent, et sine ullo effectu aliae Indulgentiae plenariae.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur in fideli ad lucrandas Indulgentias?*

R. Sequentes ex P. Lucio Ferraris (1); nempe 1. Ut sit in gratia (2); 2. Ut sit subditus concedentis; 3. Ut non sit ligatus excommunicatione majore (3); 4. Ut opera praescripta integre perficiat; 5. Ut ea perficiat ad intentionem concedentis Indul-

---

(1) V. Indulgentia n. 41.

(2) Non enim remittitur poena, nisi prius remissa fuerit culpa. Cum ergo per Indulgentiam remittatur poena, opus est, ut qui vult, illam lucrare, sit absolutus a culpa, adeoque in statu gratiae.

(3) Qui namque ita sunt excommunicati, utpote a reliquorum fidelium communione sejuncti, de tali Ecclesiae thesauro participare non possunt.

gentiam; 6. Ut ea perficiat per seipsum (1); 7. Ut saltem ultimum opus praescriptum perficiat in statu gratiae (2); 8. Ut habeat intentionem, saltem habitualem, et interpretativam eas lucrandi.

Q. *Quinam posssunt Indulgentias concedere*?

R. Pro tota Ecclesia potest solus Pontifex, Jure Divino, omnes Indulgentias concedere (3). Archyepiscopi in tota sua Provincia; Episcopi in propriis respective Dioecesibus, sed Indulgentias dumtaxat partiales, veluti unius anni in Dedicatione Ecclesiarum, vel quadraginta dierum in alia occasione (4). Cardinales quoque, licet non Episcopi, saltem ex tacita Pontificis concessione, in Eccelsiis proprii Tituli.

Q. *Haec potestas concedendi Indulgentias est Ordinis, an jurisdictionis*?

R. Est potestas jurisdictionis, non jam Ordinis; alias omnibus Sacerdotibus competeret.

Q. *Per Indulgentiam liberatur quis a poenitentia sibi a Confessario imposita*?

R. Sunt qui dicunt liberari, dummodo talis poenitentia non sit medicinalis. Alii dicunt liberari ab omni poenitentia sive satisfactoria, sive medicinali (5).

---

(1) Dummodo non sint eleemosynae, quae mediantibus aliis, distribui possunt.

(2) Vid. etiam hic P. Cuniliati App. II. ad Tract. de Sac. Poenit. de Indulg. §. 11. n. 1. et seq.

(3) Ipsi enim in persona D. Petri dietum est a Christo: *Quaecumque solveris super terram erunt sotuta et in Caelo*.

(4) Ex Concil. Lateranensi IV. Cap. 62.

(5) Videatur tamen P. *Ferraris* V. Indulgentia Art. III. n. 8., qui ita concludit: « tempore In» dulgentiae etiam plenariae, decet, quod Confessarius » semper imponat poeniteutiam, *saltem medicinalem*, *et* » *praeservativam*, quando judicat necessariam, eamque » poenitens admittat, quamvis Indulgentiam plenariam » consequatur, etc.

Q. *Si quis est in statu gratiae, et pro lucrandis Indulgentiis, dicitur in concessione, quod sit confessus et contritus, tenetur ne is iterum confiteri?*

R. Sedulo perpendenda sunt verba concessionis; et si ex illis colligitur, Pontificem velle statum gratiae, et tunc non est necessaria Confessio; Si vero colligitur velle Confessionem, et tunc est necessaria.

Q. *Potest ne anticipari Confessio in pervigilio festivitatis, pro qua conceditur?*

R. Potest (1). Immo illi qui frequenter, semel saltem in hebdomada, ad Poenitentiae Sacramentum accedunt, possunt infra hebdomadam confiteri, et nihilominus lucrari Indulgentias in Dominica die concessas. Dummodo tamen sint in statu gratiae, quando Indulgentias lucrari volunt (2).

Q. *Quaenam eleemosynae quantitas debet elargiri, si pro lucrandis Indulgentiis est imposita?*

R. Quantitas quae correspondet statui cujusque. Si enim in tali circumstantia eleemosyna est opus poenale, oportet ut sit in quantitate, statui proportionata (3).

Q. *Cum Indulgentia concessa est visitantibus Ecclesiam* toties quoties, *visitationes debent ne esse moraliter interruptae?*

R. Sunt qui dicunt non debere; Idque probant ex illo Iobi (4): *Numquid oculi carnei tibi sunt,*

---

(1) Ita ex decreto S. Cong. Anni 1759.

(2) Vid. P. Cuniliati, ut supra n. V. in Nota, et seq. P. Ferraris V. Indulgentia Art. III. n. 33.

(3) » Propterea ait cit. Cunil. §. 2. n. 7. Si dives, » duos, vel tres obolos erogaret, non videretur eleemosyna » poenalis, et idonea ad Indulgentiam, quidquid aliqui » nimis molliter dicant.

(4) Cap. X.

aut sicut videt homo et tu videbis? hoc est, Deum non videre sicut homines, quia *omnia nuda sunt*, *et aperta oculis ejus*. Sed rationabilius videtur requiri; nam si visitationes non essent interruptae, non essent plures, neque dici posset *toties quoties* quis lucrari Indulgentias.

Q. *Possunt ne Indulgentiae defunctis applicari*?

R. Possunt illis, qui sunt in Purgatorio, et quidem per modum suffragii.

Q. *Ad lucrandam Indulgentiam pro defunctis requiritur ne status gratiae in eo, qui eas illis applicat*?

R. Sunt qui dicunt, non requiri; quia Indulgentiae prosunt defunctis ex opere operato, non ex opere operantis (1). Alii cum Bellarmino, etc., dicunt requiri (2).

Q. *Quid est Jubilaeum*?

R. Jubilaeum (3) *est Indultum Pontificis, Indulgentiam Plenariam, et magna privilegia tribuens, certa opera, in Brevi praescripta, praestantibus*.

Q. *Quotuplex est Jubilaeum*?

R. Triplex; scilicet *Romanum*, quod celebratur Romae, et vocatur *Annus Sanctus*. *Compostellanum*, quod ex concessione Alexandri III. Celebratur Compostellae toto illo anno, quo Festum S. Jacobi Apostoli incidit in diem Dominicum. Tandem *Extraordinarium*, quod propter aliquam gravem causam, extra Annum Sanctum, incidi solet.

---

(1) Vid. laud. P. Ferraris V. Indulgentia art. III. n. 21.

(2) Consul. Cuniliati loco laud. §. 3. num. 2. Qui vero pleniorem cupit de Indulgentiis cognitionem, consulat laud. P. Ferraris.

(3) De Jubilaei nomine, et origine vid. inter alios, P. Lucius Ferraris *V. Jubilaeum* art. 1.

Q. *Quaenam facultates conceduntur in Jubilaeo?*

R. Duae; scilicet 1. absolvendi ab omnibus Censuris, et Casibus reservatis, excepto crimine haeresis formalis; 2. commutandi omnia vota, exceptis votum castitatis, Religionis, et votum promissionis a tertio acceptatae.

Q. *Potest ne Jubilaeum bis lucrari?*

R. Adest dissidium inter Doctores.

Q. *Qui omisit lucrari Jubilaeum in sua Patria, potest ne illud lucrari alibi, in quo adhuc perdurat?*

R. Potest, modo tamen id non faciat in confidentiam Jubilaei; hoc est, modo distulerit derelinquere peccatum, quia sciebat alibi durare Jubilaeum.

Q. *Qui ob justam causam non potuit lucrari Jubilaeum, potest ne, eo transacto, a reservatis absolvi?*

R. Maxime.

Q. *Si quis, virtute Jubilaei, a reservatis fuit absolutus, non adimplet alia opera injuncta pro lucrandis Indulgentiis, remanet ne absolutus?*

R. Si habuit veram, et non fictam intentionem adimplendi opera, et lucrandi Jubilaeum, remanet absolutus; secus non. In quocumque autem casu, si opera injuncta non adimplet, Indulgentias non lucratur.

Q. *Potest ne quis opera injuncta commutare, vel in aliis diebus adimplenda, tranferre?*

R. Per seipsum non potest, sed per Confessarium; cum tamen adest impotentia sive physica, sive moralis illa adimplendi.

Q. *Tenentur ne jejunare pro lucrando Jubilaeo omnes illi, qui ex praecepto Ecclesiae, ad jejunium non tenentur?*

R. Tenentur, quia jejunium est conditio apposita in Jubilaeo; quod si illud exequi nequeunt, petere debent commutationem a Confessario.

TRACTATUS VI.

De Sacramento Extremae Unctionis, et Ordinis.

Si toto tempore vitae suae debet homo sobrium esse, et orationibus humiliter insistere, ut auxilia mereatur, queis possit Diabolo in fide resistere, qui D. Petri testimonio (1). *Tanquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret*, multo magis Dei auxilio, et gratia adversus illum indiget in exitu ex hoc Mundo, quo tempore, inquit S. Johannes (2). *Descendit Diabolus ad vos habens iram magnam, sciens, quod modicum tempus habet.* Magna certe vi, atque gratia tunc opus est ei, ut resistat Diabolo, et victor contra omnes illius tentationes, et artes existat. Hinc misericors, et miserator Dominus ad hanc hominis necessitatem prospiciens, non solum se in Eucharistia ei Viaticum praebet, sed insuper Extremae Unctionis Sacramentum instituit, quo quis, Sacro oleo unctus, et in anima roboratus, veluti fortis athleta adversus Daemones fortiter pugnaret, illosque vinceret, atque laetus ad Caelum abiret. Quis ergo tale Sacramentum magni non faciet? De hoc ergo in praesenti Tractatu; sicuti etiam, et de Sacramento Ordinis agentes, quae scitu necessaria sunt, more solito explicabimus. Sit propterea

(1) Cap. V. v. 8. Vid. Trid. loc. apud Ferr. n. 47. cit.

(2) Apoc. XII. v. 12.

CAPUT I.

De notione Sacramenti Extremae Unctionis.

Q. *Quid est Extremae Unctionis Sacramentum?*

R. *Extremae Unctionis Sacramentum est unctio hominis infirmi poenitentis, facta in determinatis partibus corporis cum oleo consecrato ab Episcopo, ministrata a Sacerdote, simul verba certa cum intentione debita proferente, ex institutione divina, efficaciter significans curationem finalem venialium* (1).

Q. *Extrema Unctio est ne vere Novae Legis Sacramentum a Christo Domino institutum?*

R. Affirmative. Et est de fide (2).

Q. *Quando Christus hoc Sacramentum instituit?*

R. Quonam precise tempore Christus hoc Sacramentum instituerit, certo stabiliri nequit. Probabilius tamen est, illud instituisse post suam Resurrectionem, quando instituit Poenitentiam (3). Idque videtur innuere Tridentina Synodus cum dixit (4), Extremam Unctionem esse consumativam Poenitentiae.

Q. *Est ne Sacramentum hominibus necessarium?*

R. Vel loquimur de necessitate medii, et neces-

---

(1) Ita Praeceptor Subtilis in IV. dist. 23. q. unica.

(2) Ita Concilium Florentinum in decreto unionis; et Tridentinum Sess. XIV. de Extrema Unctione Cap. 1. et 6. atque Can. 1. his verbis: *Si quis dixerit, Extremam Unctionem non esse vere, et proprie Sacramentum a Christo Domino institutum, et a Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus; aut figmentum humanum. Anathema sit.*

(3) Joan. Cap. XX.

(4) Sess. XIV. de *Extrema Unctione in Proemio.*

sarium non est (1). Vel de necessitate praecepti, et dissidium est inter Doctores. Verum probabilius est, taliter esse necessarium (2).

Q. *Quaenam est hujus Sacramenti materia?*

R. Materia remota est oleum olivarum ab Episcopo benedictum; proxima vero ipsamet unctio tali oleo facta (3).

Q. *Tale oleum debet ne necessario benedici ab Episcopo, ut valeat hoc Sacramentum?*

R. Affirmative, ut docent communiter Doctores, et colligitur ex Traditione Apostolica (4).

Q. *Potest ne aliquando, ex Pontificis dispensatione, perfici Sacramentum Extremae Unctionis oleo a simplici Sacerdote benedicto?*

R. Ex rationabili, et urgenti causa, potest. Idque probari potest, ex variis concessionibus a Pontificibus, variis Religiosis Ordinibus factas non solum, sed aliis quoque presbyteris, Confirmationis Sacramentum administrandi. Et sane, si in necessitate, et urgenti causa, ex Apostolica dispensatione, potest simplex Sacerdos Sacramentum Confirmationis administrare, cur eadem dispensatione, non potest simplex sacerdos oleum pro extrema unctione benedicere (5)?

---

(1) Ita communiter Theologi.

(2) Vid. Concina, qui Lib. 1. Dissert. 1. *de Extrema Unctione Cap. IV. §. 7.* q. 6. Id probat ex verbis D. Jacobi dicentis: *Inducat Praesbyteros etc.*

(3) Ita communiter Theologi. Et clare constat ex Concilio Florentino loco cit.; et Tridentino ibid. Cap. 1., nec non ex verbis Apostoli Jacobi Cap. VI. scilicet: *Ungentes eum oleo.*

(4) Ita tradit Ven. Beda in Cap. VI. Marci; et expressius Tridentina Synodus loco cit. Vid. Ferraris V. *Extrema Unctio* n. 6.

(5) Consul. P. L. Ferraris. loco cit. n. 7. 8.

Q. *Potest ne aliquando misceri oleum non benedictium oleo benedicto, et Extremam Unctionem valide, et licite administrare?*

R. Potest in gravi, et urgenti necessitate, in qua multi essent moribundi, et oleum benedictum non esset sufficiens, neque haberi posset aliud oleum ab Episcopo benedictum; tunc singulis vicibus addi potest oleo benedicto minor quantitas olei non benedicti, et sic Sacramentum administrare (1).

Q. *Quaenam corporis partes oleo benedicto ungi debent in administrando hoc Sacramento?*

R. Si de viris loquimur, unctio communiter facienda est in septem partibus corporis illius, qui infirmatur; nempe in oculis, auribus, naribus, ore, manibus, renibus, et pedibus (2); Si vero de mulieribus loquimur, honestatis causa, omittenda est unctio renum.

Q. *Quid agendum si infirmus aliquo sensu careat?*

R. In tali casu ungi debet pars illa, quae proximior est illi sensui, seu parti, qua infirmus caret; quia, ut dicunt Doctores, licet per sensus externos peccare non potuerit, potuit tamen peccare per potentias internas illis correspondentes, vel per desiderium actus illiciti (3).

Q. *Datur ne casus, in quo sufficiat una tantum alicujus membri unctio?*

---

(1) Ita ex decreto Sacrae Congreg. 23. Septembris 1682. apud cit. Ferraris n. 10.

(2) Ita expresse habetur in Concilio Florentino, loco cit., et Rituali Roman. Pauli *V. de Extrema Unctione*. Dixi commuuiter etc. Nam si infirmi sunt in statu,in quo commode moveri non possunt, potest omitti renum unctio.

(3) Rituale Rom. loco cit.

R. Datur ; et est tempore pestis. Tunc enim, cum omnes unctiones perfici non possint, sufficit unica tantum in quolibet sensu, magis ad unctionem exposito, cum unica tantum forma id exprimente.

Q. *Quaenam est forma hujus Sacramenti?*

R. Forma hujus Sacramenti sunt haec verba: *Per istam Sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum, auditum, odoratum, etc. deliquisti.* Amen (1)

Q. *Quomodo adhiberi debet materia, et forma in administratione hujus Sacramenti?*

R. Debet Minister in actu, quo partem corporis infirmi ungit, proferre formam illi parti correspondentem; Ungit Ex., gr. oculos, dicat: *per istam* etc. *indulgeat* etc. *quidquid per visum deliquisti.* Ungit aures, dicat; *Quidquid per aures deliquisti*, et sic de aliis.

Q. *Tempore pestis, quo unica unctio fieri potest, quomodo proferenda est forma?*

R. Hoc modo: *Per istam sanctam unctionem etc. indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum, gressum, et lumborum delectationem.*

Q. *Quomodo autem, peste infectis, fieri potest unctio?*

R. Fieri potest, adhibita oblonga virga, vel alio instrumento, cujus extremae parti alligatus sit, firmiterque adhaereat gossypii pugillus, sacro imbutus oleo, quo inungatur infirmus; id tamen per facultatem ab Episcopo obtentam (2).

---

(1) Ita Trid. loco citato; et Rituale Rom.

(2) Uti ex Bened. XIII. in Synodo Dioeces. Lib. III. Cap. 9.

CAPUT II.

De Ministro, et Subjecto Extremae Unctionis, ac de ejus effectibus.

Q. *Quinam est Extremae Unctionis Minister?*

R. Minister validus hujus Sacramenti est solus, et omnis Sacerdos (1); Minister vero licitus est solus Parochus, vel alius, de licentia sive Episcopi, sive Parochi.

Q. *Possunt ne Saccrdotes Regulares hoc Sacramentum administrare?*

R. Ubi Parochi non sunt, vel curam animarum non habent, sine licentia Episcopi, vel Parochi, aut summi Pontificis privilegio, non possunt, excepto casu verae necessitatis; nec etiam advenis, qui in eorum Conventibus infirmantur (2). Possunt tamen, absque ulla licentia, illud administrare, domesticis, et perpetuo cum ipsis commensalibus, et intra ipsorum Monasteria degentibus (3).

Q. *Peccant ne, et incidunt in aliquam poenam*

---

(1) Id clare evincitur ex illo Jacobi Cap. V., ubi absolute dicitur: *Inducat praesbyteros Ecclesiae*; Et expresse de fide statutum est a Concilio Florentino in decreto Armaenorum; et in Concilio Trident. Sess. XIV. Cap. 3, et Can. 4. his verbis: *Si quis dixerit Praesbyteros Ecclesiae, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed aetate seniores in quavis communitate; ob idque proprium Extremae Unctionis Ministrum non esse solum Sacerdotem; anathema sit.*

(2) Ita ex Sac. Congreg. Concilii in Monopolitana 27. settembris lib. 26. dec. f. 444 apud. Ferrar. n. 27.

(3) Ut supra dictum est de Praecepto Comm. Pasch.

Regulares illi, qui sine dicta licentia, vel urgente necessitate hoc Sacramentum administrant?

R. Graviter peccant, et incidunt in Excommunicationem Papae reservatam (1).

Q. *Quale est Subjectum hujus Sacramenti?*

R. Solus homo baptizatus rationis capax, et in probabili periculo mortis constitutus, ex morbo, vulnere, partu, senectute, aut veneno, vel morsu rabido (2).

Q. *Peccant ne illi, qui in periculosa infirmitate positi, hoc Sacramentum non suscipiunt?*

R. Si id non faciunt ex contemptu, non peccant, quia nullum adest praeceptum suscipiendi illud, utpote ad salutem necessario non requisitum (3). Si vero faciunt ex contemptu, gravissime peccant. Sicuti etiam peccant, si illud sine rationabili causa, licet non ex contemptu, recipere non curant; unde scandalum oritur inter fideles.

Q. *Quomodo peccat Parochus, qui infirmo Extremam Unctionem petenti, negligit, aut sine justa causa, differt, sive per se, sive per alium ei administrare, ita ut ille, sine tali Sacramento, moriatur?*

---

(1) Clement. 1. *de Privileg.* apud cit. Ferraris. num. 25.

(2) Quare hoc Sacramentum dari non potest pueris usum rationis non habentibus; item perpetuo amentibus; nec etiam illis, qui non ex infirmitate, sed aliqua alia de causa sunt in mortis periculo, veluti praeliaturis, in naufragio constitutis, morte plectendis, etc. Isti enim non sunt infirmi, adeoque hujus Sacramenti, qui pro infirmis statutus est, capaces. Vid. S. Thomas in Suppl. q. XXXIII. art. 2.

(3) Ita D. Thomas in IV. dist. 23. q. 1. Scotus in IV. dist. 7. q. 2. S. Bonav. et alii communiter.

R. Graviter peccat. Nam in materia tam gravi non praestat id, ad quod tenetur ex justitia; et privat tam spirituali bono, et adjutorio fidelem, in casu tantae necessitatis.

Q. *Tenetur ne Parochus sive per se, sive per alium administrare hoc Sacramentum, etiam peste infectis?*

R. Tenetur, et quidem etiam cum periculo infectionis, si infirmus non potest alia Sacramenta recipere (1).

Q. *Quid dicendum si infirmus peste infectus, receperit Sacramentum Poenitentiae, sed non Eucharistiae?*

R. Etiam tenetur (2); esto non desint, qui negent.

Q. *Potest ne hoc Sacramentum eidem infirmo pluries administrari?*

R. Si accepta Extrema Unctione convaluerit de illa infirmitate, et postea contracta illa, vel alia infirmitate, est in mortis periculo, potest (3).

Q. *Quinam sunt Extremae Unctionis effectus?*

R. Effectus praecipui, et principales hujus Sacramenti sunt quatuor; scilicet 1. Remissio venialium per se (4), primario; et secundario, sive per accidens

---

(1) Ita communiter Doctores.

(2) Vid. Ferraris loco cit. n. 44. et 66.

(3) Idque est a Concilio Trid. statutum ib. C. 3. his verbis; *Si infirmi post susceptam hanc Unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitae discrimen inciderint.*

(4) Id constat ex verbis illis Divi Jacobi: *Et si in peccatis sit remittentur ei*; quibus ex Tridentino Sess. XIV. Cap. 2. explicat hujus Sacramenti effectum.

remissio mortalium (1); 2. est infirmi alleviatio (2) 3. Reliquiarum peccatorum abstersio (3); et 4. Infirmi liberatio a sua corporali infirmitate (4), si id animae illius bono expediens fuerit (5).

CAPUT III.

De Sacramento Ordinis.

Q. *Quid est Ordo?*

R. Ordo, sive sacra Ordinatio, est Sacramentum Novae Legis initerabile, a Christo Domino institutum, quo, subjecto capaci, cum impressione characteris, gratia, et spiritualis potestas confertur ad Sacramentum Eucharistiae conficiendum, aut circa illud ministrandum.

Q. *Quando Christus hoc Sacramentum instituit*

---

(1) » Vid. cit Ferraris n. 45. si infirmus reperia-
» tur cum peccatis mortalibus a se invincibiliter igno-
» ratis, quatenus bona fide confessus est, sed ob ali-
» quem defectum essentialem a se invincibiliter ignora-
» tum confessio fuit invalida; tunc enim hoc Sacra-
» mentum confert per accidens primam gratiam.

(2) Ex citato S. Jacobo, qui ibid: *Et alleviabit eum* Dominus. *In quantum*, ait laud. Trid. etc. *aegroti animam alleviat, et confirmat, magnam in eo Divinae Misericordiae fiduciam excitando, qua infirmus sublevatur, et morbi incommoda, et labores levius fert, et tentationibus Daemonis insidiantis facilius resistit.*

(3) Ita Trid. loco cit. Vid. Ferraris n. 47.

(4) Ait enim laud. Apostolus ib. *Et Oratio fidei salvabit infirmum.*

(5) Ut ait Trid. Synodus loco cit. Cap. 2. his verbis: *Sanitatem corporis interdum, ubi saluti aeternae expedierit, consequetur.* §. 2. et seq.

R. In ultima Caena, quando communicatis Apostolis, dixit eis: *Hoc facite in meam commemorationem* (1).

Q. *Quotuplex est Ordinis materia?*

R. Duplex; *remota* scilicet, et *proxima*. Prima est res sensibilis, quae in ordinatione adhibetur; secuuda vero est illius rei traditio, et acceptatio.

Q. *Tangi ne debet materia, quae in hoc Sacramento perficiendo traditur ordinando?*

R. Debet tangi; et quidem tactu physico, saltem mediato.

Q. *Quot sunt Sacramenti Ordinis effectus?*

R. Sunt duo; Gratiae scilicet sanctificantis augmentum, et Character; estque de fide a Tridentino statutum (2).

Q. *Quis est hujus Sacramenti Minister?*

R. Minister Ordinarius est solus Episcopus (3).

Q. *Quaenam, ex parte Ministri, ad Ordinis validitatem requiruntur?*

R. Ex parte Ministri, tria requiruntur; nempe 1. ut habeat legitimam facultatem; 2. Ut adhibeat debitam materiam, et formam; et 3. Ut habeat intentionem conferendi Ordinem.

Q. *Quondam est Ordinis Subjectum?*

R. Homo viator.

Q. *Quaenam ex parte subjecti requiruntur, ad valorem hujus Sacramenti?*

R. Ex parte subjecti haec quatuor sunt necessaria; nempe 1. sexus virilis; Ut sit baptizatus Bap-

---

(1) Lucae Cap. XXIII. v. 19.

(2) Sess. XXIII. Cap. III. Can. 4. *Si quis dixerit per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, aut per eam non imprimi characterem, anathema sit.*

(3) Ita est de fide statutum a Trid. Sess. XXIV. Can. 6.

tismo fluminis; 3. Ut sit viator; et 4. ut habeat intentionem.

Q. *Quaenam requiruntur ad valitam Ordinis susceptionem?*

R. Plura; scilicet; 1. Ut suscipiens veram habeat vocationem; 2. ut animum habeat clericandi; 3. ut sit in gratia; 4. ut sit confirmatus; 5. ut non per saltum, sed gradatim Ordines suscipiat; 6. ut non sit irregularis, vel aliqua censura innodatus 7. ut habeat legitimam aetatem; 8. ut scientia sufficienti sit praeditus; 9. ut Ordines a proprio Episcopo suscipiat, vel ab alio, sed cum proprii Episcopi, aut Praelati dimissoriis; 10. ut antequam ad Ordinem superiorem suscipiendum ascendat, se in inferiori exercuerit; 11. tandem ut habeat titulum honestae substentationis.

Q. *Quot sunt Ordines?*

R. Ordines, septem vulgo in Ecclesia Latina numerantur; nempe Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acholitatus, Subdiaconatus, Diaconatus, et Presbyteratus (1).

---

(1) Ita expresse Trid. Synodus Sess. XXIII. Can. 4. Atque haec de Ordine, hoc loco, innuisse sufficiat. Tum quia quisque Sacerdos, satis instructus supponatur circa hujus Sacramenti doctrinam; tum quia de eo, in peculiari Tractatu pro Examine Ordinandorum elucubrato, satis verba fecimus Tomo VII. Sacrae Theologiae Synopsis Parte III. Quare ad alia transeamus.

TRACTATUS VIII.

De Matrimonii Sacramento.

Matrimonii Sacramentum in hoc Tractatu aggredimur explicandum, quod Apostoli testimonio (1), *magnum est*, quippe quod figura est spiritualis conjunctionis, atque unitatis Christi cum Ecclesia Romana sua sponsa, proprio sanguine adquisita, atque lavacro aquae in verbo vitae (2) mundata. Fateri tamen vel ab ipso initio cogimur, admodum difficilem suscipere materiam explicandam, quae vel ipsorum Sanctorum Doctorum atque Patrum animum despondit; unde dixerit S. Augustinus ipse ad Pollentium scribens (3). *Quaestionem de conjugiis obscurissimam, et implicatissimam esse non nescio. Nec audeo profiteri, omnes sinus ejus vel in hoc opere, vel alio me adhuc explicasse, vel jam posse si urgeat, explicare.* Confidimus tamen in Deo, *qui docet hominem scientiam* (4); *et intellectum dat parvulis* (5), quae in eo docenda sunt, atque scienda, ita exponere, atque declarare, ut conformia sint Sanctae Romanae Ecclesiae doctrinae, et Doctorum probatorum testimoniis melius corroborata. Et quoniam hujus Sacramenti susceptionem solent praecedere sponsalia, de his primo verba facienda esse putamus. Unde sit

---

(1) Ephes. Cap. V. v. 32.
(2) Apost. ib. v. 26.
(3) Lib. I. Cap. XXIV. de *Adulter. Conjug.*
(4) Psal. 93. v. 10.
(5) Psal. 118. v. 130.

CAPUT I.

De Sponsalibus, quae Matrimonii Sacramentum praecedunt.

Q. *Quid sunt Sponsalia?*

R. Sponsalia a spondendo dicta (1); sunt mutua promissio, et acceptatio futurarum Nuptiarum inter personas a jure ad contrahendum habiles.

Q. *Quotuplicis generis sunt Sponsalia?*

R. Duplicis sunt generis; nempe de praesenti quae sunt idem cum Matrimonio rato; et de futuro de quibus hic sermo est.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur, ut valeant Sponsalia?*

R. Sequentes; nempe 1. ut sint *vera*, nec non *certa*, hoc est cum determinata persona (2): 2. *libera* (3) 3. *Externe expressa* (4) 4. *Acceptata* (5)

---

(1) Ita Vulpianus Lib. *Sponsalia.* Unde qui promittit dare puellam in uxorem dicitur *sponsor*; puella, quae in uxorem promittitur vocatur *Sponsa*; et vir qui puellam se in uxorem ducturum promittit, appellatur *Sponsus* Lib. 7. *Sponsio*.

(2) Quare si quis ficte promisit; hoc est vel animo non promittendi, vel etiam juxta multos, animo non se obligandi, Sponsalia sunt nulla. Pariter nulla sunt Sponsalia, si quis filiabus Petri, ex. gr. diceret, *ducam mihi in uxorem unam ex vobis*.

(3) Cujus conditionis defectu Sponsalia per vim celebrata, jure naturae sunt nulla: Sicut etiam nulla sunt Sponsalia, metu gravi celebrata, etiamsi juramento firmentur. Nam ad Sponsalia requiritur eadem libertas, ac illa ad Matrimonium requisita; libertas nempe omnino perfecta.

(4) Nam Sponsalia sunt actus humani; modo itaque humano perfici debent.

(5) Nulla enim promissio, regulariter obligat, nisi

5. *Repromissio mutua inter personas jure habiles.*

Q. *Datur ne casus, in quo promittens, teneatur stare Sponsalibus, ex vi simplicis promissionis?*

R. Datur, et est quando promittens intendit se obligare absque onere repromissionis; quia in eo casu, promissio est absoluta, et per consequens obligatoria.

Q. *Sunt ne censenda vera Sponsalia illa mutua promissio de Matrimonio contrahendo juxta Tridentini Decretum, quam Sponsi de futuro faciunt coram Ministro status Civilis, uti a novissimo Jure nostro Neapolitano art. 77. praescribitur?*

R. Affirm. Nam in tali promissione habetur duplex obligatio; scilicet contrahendi Matrimonium, et servandi in ejus contractione ritum a Tridentino praescriptum (1).

Q. *Quomodo peccat, qui ficte Sponsalia promittit?*

R. Peccat graviter, quia proximum decipit in re gravi.

Q. *Qui Sponsalia ficte celebrat, scilicet non animo promittendi, sed ad extorquendam copulam a puella, tenetur ne illam postea ducere?*

R. Tenetur, ast non ratione Sponsaliorum, quae fuerunt nulla, sed ratione damni illati; si illi ob vitae

---

fuerit acceptata; et multo magis in Sponsalibus, in quibus acceptatio fieri debet cum repromissione utriusque contrahentis, quae est de eorum natura, ita ut etiamsi habeatur repromissio, Sponsalia non valent. Quod si dicant Auctores, promittentem ad illa teneri, intelligendum est, teneri non virtute Sponsaliorum, sed simplicis promissionis. Unde ista Sponsalia, defectu hujus conditionis, cum non sint vera sponsalia, non inducunt impedimentum publicae honestatis.

(1) Vid. Moral. Noviss. Buonocore de Spons.

honestatem fuit tali copula illatum, secus tenetur ad mulctam.

Q. *At quid agere debet si puella crat quidem honestae vitae, sed inaequalis conditionis?*

R. Tunc tenetur vel eam dotare, vel de honestis nuptiis providere.

Q. *Dantur ne Casus, in quibus licet puella sit honestae vitae, et aequalis conditionis, adhuc non tenetur promissor illam ducere?*

R. Dantur sequentes Casus; nempe 1. quando ex tali Matrimonio orirentur scandala, vel gravia damna, veluti rixae, discordiae, homicidia (1). Et in hoc casu tenetur saltem eam dotare. 2. quando fictus promissor vult puellam a se defloratam ducere, sed illa, aut ejus parentes nolunt. 3. quando fictus promissor dedit signa evidentia, se velle puellam decipere; unde praesumi rationabiliter potest, quod puella non fuit decepta, sed ipsa potius decipi finxit; et in tali casu, nec etiam tenetur illam dotare.

Q. *Quibus modis possunt Sponsalia exterius manifestari?*

R. Aut verbis, aut siguis, aut muneribus, quae secundum locorum consuetudinem, valeant explicare consensum ad contrahenda Sponsalia requisitum.

Q. *Suficiunt ne quaecumque verba ad exprimendum consensum, ad valorem Sponsaliorum requisitum?*

R. Non sufficiunt, sed illa verba requiruntur, quae valent ad satis significandam, et exprimendam promissionem; veluti, *promitto, me obligo, sub mea fide te ducam* (2).

---

(1) Nam ex justitiae virtute nemo tenetur ad id, quod sine peccato, et proximi scandalo exequi nequit

(2) Unde non sufficit taciturnitas. Nam ex regula Juris in 6. *Qui tacet nec consentire, nec dissentire videtur.*

Q. *Sufficit ne aliquando taciturnitas ad Sponsalia contrahenda?*

R. Sufficit; quando tamen parentes in filiorum sive puberum, sive impuberum praesentia, pro illis spondent et acceptant, ipsis filiis tacentibus quidem, sed interne consentientibus (1).

Q. *Quid dicendum si filius non contradicit, sed internum consensum non praestat?*

R. In tali casu Sponsalia sunt tantum valida in foro externo.

Q. *Quomodo se gerere debet Confessarius cum illo, qui tacuit, et internum non praestitit consensum in Sponsalibus, pro ipso, a parentibus celebratis.*

R. Debet ei persuadere, ut verum, et internum praestet consensum; sicque Sponsalia convalidet; alias cogeretur Matrimonium contrahere, si sufficientes non habeat rationes demonstrandi, se internum consensum revera non praestitisse.

Q. *Sunt ne valida Sponsalia, si parentes pro illis promittunt?*

R. Si filii cum recipiunt notitiam de Sponsalibus a parentibus contractis, non contradicunt, sed interne consentiunt, sponsalia sunt valida; secus vero non (2).

---

in praejudicialibus; uti sunt Sponsalia. Nec simplex propositum contrahendi; neque verba negativa; veluti *non ducam aliam in uxorem, nisi te.*

(1) Cap. ult. *De desponsatione impuberum*, ut infra.

(2) Ita expresse habetur in Cap. Si infantes unic. §. Porro de despons. impuber. in 6. his verbis: *Porro ex Sponsalibus, quae parentes pro filiis puberibus, vel impuberibus, plerumque contrahunt, ipsi filii, si expresse consenserint, vel tacite, ut si praesentes fuerint, nec contradixerint, obligantur, et eis oritur justitia publicae hone-*

Q. *Quid dicendum si Tutores, Curatores, fratres spondeant pro pupillo, minore, sorore tacente, et non contradicente?*

R. Si isti tales manifeste contrahunt in commodum subjectorum, Sponsalia sunt valida; secus sunt invalida; quia tale privilegium est solis parentibus concessum (1).

Q. *Ut Sponsalia sint valida requiritur ne praesentia Parochi, et testium?*

R. Non requiritur; ita communiter Doctores, ex variis decisionibus Sacrae Congregationis Concilii (2).

Q. *Quotuplici modo possunt Sponsalia celebrari?*

R. Duplici modo; absolute nempe, et conditionate. Prima sunt illa, quae absolute, et simpliciter celebrantur; conditionata vero, quae sub aliqua conditione.

Q. *Sunt ne valida a principio Sponsalia sub conditione celebrata?*

Q. Si sunt celebrata sub conditione de praesenti, de praeterito, vel de futuro necessario, et valent; quia talis conditio est impropria. Si sunt

---

statis. Et est idem si filii, tempore Sponsaliorum absentes et etiamsi ignorantia eadem sponsalia, post scientiam ratificaverint tacite, vel expresse.

(1) Cit. sup. Cap. de *Desponsatione Impub.*

(2) Vid. Benedictus XIV. *de Synodo Dioecesana L. VII. Cap. 68. n. 1. et Inst. Ecclesiast.* 46. §. 8. Recte tamen ait Bossuyt Tract. VIII. de Sacram. Matrim. C. 1. n. 24. « Sponsalia contracturis suadendum est, ut » exacte servent leges, si extent, aut saltem laudabiles » consuetudines locorum, quae ferre solent, ut coram » Parocho alterutrius partis, eo quidem communius, et » decentius ipsius sponsae etc. contractus iste ineatur, » praesentibus quoque duobus, ut minus, testibus.

celebrata sub conditione propria, honesta, et possibili, et tunc statim non valent, sed post verificatam conditionem. Si vero sunt celebrata sub conditione propria, sed vel turpi, vel impossibili; et talis coni ditio turpis opponitur alicui ex tribus bonis substantialibus Matrimonii, et tunc sunt nulla; si vero non opponitur, et tunc statim valent, quia talis conditio rejicitur a jure.

Q. *Si aliquis contraxit Sponsalia conditionata cum puella; et antequam verificatur conditio illam carnaliter cognoscit, sunt ne amplius dicta Sponsalia conditionata, an evadant absoluta?*

R. Evadunt absoluta; qnia tunc censetur remissam esse conditionem.

Q. *Si quis contractis Sponsalibus conditionatis cum una, contrahit Sponsalia absoluta cum alia, haec secunda Sponsalia sunt ne valida?*

R. Secunda Sponsalia sunt nulla, quia res uni promissa nequit alteri promitti. Atque id, etiamsi priorum Sponsaliorum promissio verificata non fuerit, quia quod a principio fuit nullum, tractu temporis non convalescit.

Q. *Quid dicendum si quis cum secunda, cum qua contraxit Sponsalia absoluta, habet copulam?*

R. Etiam Sponsalia sunt nulla, praeterquam in locis, in quibus Concilium Tridentinum non est acceptatum.

Q. *Ad quid tenentur, qui Sponsalia conditionata contraxere?*

R. Tenentur expectare conditionis eventum; atque interim se inabiles, atque impotentes ad contrahendum non reddere.

Q. *Quaenam sunt illa, quae reddunt inabilem ad contrahenda Sponsalia?*

R. Sunt sequentia; scilicet. 1. Votum non nubendi. 2. votum suscipiendi Ordines Sacros. 3. Vo-

tum ingrediendi Religionem; 4. Omnia illa, quae sunt impedimenta Matrimonium dirimentia; et tandem 5. Sponsalia jam cum una contracta, ita ut si cum alia contrahantur, haec secunda essent nulla.

Q. *Quaenam aetas requiritur in iis qui volunt contrahere Sponsalia?*

R. Ætas ad contrahendum Sponsalia requisita tam in masculo, quam in faemina est septennium completum (1); ita ut si ante septennium contrahantur, ordinarie loquendo, snnt nulla (2).

Q. *Cujus generis sunt Sponsalia ab impuberibus contracta?*

R. Sunt partim rata, et partim suspensa; Rata, quia inducunt impedimentum publicae honestatis (3); Suspensa vero, quia impubes, adempta pubertate, ab illis potest resilire (4).

Q. *Cur impuberes antequam ad pubertatem perveniant non possunt a Sponsalibus resilire?*

R. Quia cum illi propter teneram aetatem supponantur esse inconstantes, de facili, et minima causa Sponsalia contraherent, et dissolverent; quod maximum inconveniens esset.

Q. *Potest ne impubes, adepta pubertate a Sponsalibus resilire, si altera pars contradicat?*

---

(1) Ita per Textum in Cap. litteras 4. Cap. *Accessit* etc.

(2) Ita communiter Doctores, et expresse habetur in C. *Si infantes unica de disponsat. Impuberum in 6.* dicitur autem, ordinarie loquendo, quia secundum multos Doctores, quos citat, et sequitur P. L. Ferraris V. *Sponsalia* n. 25. dari potest casus in quo in aliquibus malitia, vel prudentia suppleat aetatem. Non desunt tamen, qui hoc negent.

(3) Ex Cap. *Litteras* de desp. Impuberum.

(4) Ex Cap. *A Nobis* de disp. Impub.

R. Affirmative (1).

Q. *Adepta pubertate, quantum temporis spatium requiritur, ut quis resilire jure possit a Sponsalibus?*

R. Statim, hoc est intra triduum a die cognitionis acquisitae pubertatis (2).

Q. *Datur ne casus, in quo impubes, acquisita pubertate, non potest a Sponsalibus resilire?*

R. Datur, et est quando ante legitimam aetatem habuerunt inter se copulam carnalem (3).

Q. *Peccant ne filii, si insciis, et inconsultis parentibus Sponsalia contrahunt?*

R. Regulariter loquendo peccant, quia in re tanti momenti, Parentes non consulunt, quemadmodum exigit illorum potestas, et debita filiorum erga Parentes reverentia.

Q. *Quid si parentes vellent eos ab omni Matrimonio avoeare?*

R. Tunc illi non peccant; quia non tenentur quoad hoc illis obedire, cnm., ut ait Apostolus (4): *Melius est nubere, quam uri.*

Q. *Datur ne Casus, in quo parentes possunt impedire ne filii contrahant Sponsalia cum aliqua?*

R. Affirm. Et est quando ex celebratione talium Sponsaliorum timentur scandala, dissensiones, dedecus etc. Sponsalia enim tunc charitati, et pietati repugnarent; hinc sine peccato contrahi non possunt.

---

(1) Ita ex Cap. *de illis* 1. *de desp. impub.*

(2) Ita 1. *Cum specialis 18. de judiciis; Illico autem, idest intra triduum proximum sine ulla dilatione.*

(3) Et sane certum est, uti habetur Cap. 3. *Puberes de desp. Impub.*, *cum puberem esse qui ex habitu corporis pubertatem ostendit, et generare potest.*

(4) Prima ad Corinth. Cap. 7. Quare Sponsalia a filiis familias contracta, etiam in tali casu sunt valida, et obligatoria.

Q. *Quibus ex Causis possunt Sponsalia dissolvi?*

R. Pluribus ex Causis; nempe 1. per mutuum consensum (1), etiamsi sint jurata (2); 2. per professionem Religionis (3); 3. per susceptionem Sacrorum Ordinum (4); 4. per Matrimonium subsequens (5); 5. per lapsum temporis, quando tamen tempus

---

(1) Nam, uti habetur ex Cap. Omnes res 1. de Regul. Juris in 6. *Omnis res per quascnmque nascitur per easdem dissolvitur.* Si ergo mutuo consensu Sponsalia contrahuntur, eodem mutuo consensu et dissolvuntur.

(2) Ita comuniter Doctores ex Testu in Cap: Praeterea 2. *de Sponsalibus*: *Sponsalia de futuro dissolvuntur, si Sponsi se dissolvant, etiomsi fuerint jurata.*

(3) Et sane si per Religiosam Professionem dissolvitur ipsum Metrimonium ratum *Cap. Ex publico 7. de convers. conj.* multo magis dissolvuntur Sponsalia.

(4) Nam per susceptionem Sacrorum Ordinum quis, ob votum castitatis, quo se abstringit, redditur incapax ad contrahendnm Matrimonium. Ut Sacri Canones statuunt; et expresse definivit S. Trid. Synodus Sess. XXIV. Can. 9. his verbis: *Si quis dixerit, Clericos in Sacris Ordinibns constitutos, vel Regulares, Castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto . . . . Anathema sit.*

(5) Est communis ex textu *in Cap. Sicut 23. et C. Duobus modis 1. de sponsa duorum*; Idque etiamsi priora Sponsalia fuerint juramento firmata. C. *Si inter 51. de Sponsalibus*, ubi expresse habetur: *Sive sit juramentum interpositum, sive non.* Unde si quis contractis validis Sponsalibus cum una, postea contrahit Matrimonium cum alia, non tenetur, mortua uxore, ad priora Sponsalia adimplenda redire; quia cum dicta Sponsalia, per Matrimonium cum alia, jam fuerint dis-

positum ad finiendam obligationem (1); 6. per discessum in longinquum (2); 7. per impedimentum dirimens, quod supervenit (3), et 8. per notabilem mutationem status (4).

Q. *Dissolvuntur ne Sponsalia per solum ingressum unius in Religionem?*

R. Affirm. sed ex parte tantum remanentis in saeculo, non vero ex parte ingredientis, nisi post emissam professionem; uti dictum est.

Q. *Datur ne Casus, in quo quis ingredi non potest Religionem, et tenetur stare Sponsalibus?*

---

soluta, et extincta, obligatio illis standi non amplius reviviscit. *In perpetuum enim*, dicitur 1 *Qui res* 98. §. 8. *de solutionibus; sublata obligatio restitui non potest.*

(1) Dicta tamen Sponsalia dissolvuntur ex parte solum innocentis; quippe nocens, uti ex Cap. 22. *Sicut de Sponsal.* videtur cedere juri suo.

(2) Id autem intelligendum est de illo, qui contractis Sponsalibus, sine alterius licentia, longe discedit vel animo non redeundi, vel sine spe, brevi redeundi. Tunc enim altera pars, potest cum alio Sponsalia inire, uti communiter docent Theologi ex textu expresso in Cap. de illis 5. *de Sponsal.* Vid. Ferraris V. *Sponsalia n.* 79.

(3) Et sane, si, ea Trid. *Sess. XXIV. de Refor. Matrim.* stante impedimento dirimente, Matrimonium contrahi nequit, certe Sponsalia remanent soluta.

(4) Veluti si sponsus cognoscatur vitiis deditus, puta ebrietatibus; impudicitiis; vel scandala, rixae homicidia ecc. orirentur; sicuti etiam si sponsa notabiles defectus in persona contrahat, veluti amittat oculum, vel nasum, manum, pedem etc.; vel si in bonis fortunae notabilis mutatio eveniat etc. Vid. Ferraris loc. cit. n. 112. et seq.

R. Affirmative, et est quando legitimandi sunt filii, qui stantibus Sponsalibus valide contractis, fuerunt procreati.

Q. *Valet ne pactum lucrativum Sponsalibus adjectum?*

R. Non valet. Nam alias daretur occasio celebrandi Matrimonia, non penitus libere, et ex fine honesto, sed ex libidine, aut turpi quaestu.

Q. *Datur ne Casus, in quo valeant?*

R. Affirmative, et est quando aliquid promittitur vel ratione dotis, vel donationis ob nuptias; vel ratione inaequalitatis, sive natalium, sive aetatis; et tandem si talis promissio non fit ab ipso contrahente, sed ab alio, causa alliciendi ad contrahendum Matrimonium (1).

Q. *Potest ne in Sponsalibus apponi obligatio ad poenam?*

R. Non potest. Nam haec poena opponitur libertati Matrimonii; adeoque non tenet (2).

Q. *Quid dicendum si poena apponatur contra injuste resilientes?*

R. Tunc jure tam Canonico, quam Civili, permissum est eam apponere; et injuste resilientes, in utroque foro tenentur illam solvere.

Q. *Est ne licita arrharum traditio inter sponsos?*

R. Arrhae, hic, sunt res, quae traduntur in pignus futuri Matrimonii. Eae sunt licitae, et ita quidem, ut si qui ea dedit, a Matrimonio resiliat, non possit ea repetere.

Q. *Cui adquiruntur Arrhae?*

---

(1) Uti ex Cap. *Titio, de conditionibus, et demonstrationibus.*

(2) Ita ex Cap. Gemma *de Sponsalibus*: Quare si quis talem poenam recipit, tenetur eam restituere.

R. Si Matrimonium celebratur, restituendae sunt illi, qui dedit. Si vero Matrimonium non celebratur, et id ex culpa tradentis, iste illas amittit; si vero culpa recipientis, et tunc tradenti restituendae sunt.

Q. *Sunt ne licitae donationes inter Sponsos?*

R. Affirmative; quia libertati Matrimonii non opponuntur.

Q. *Cujus sunt tales donationes?*

R. Si Matrimonium jam contrahitur, plene jure sunt donatarii. Si vero Matrimonium non sequitur, idque ex culpa donatoris, et tunc sunt etiam donatarii; si vero ex culpa donatarii, et tunc restituendae sunt donatori (1); Si vero absque culpa utriusque, et tunc etiam donatori sunt restituendae; dummodo tamen non intercesserint oscula etc., in quo casu sponsa teuetur restituere medietatem (2).

CAPUT II.

De Matrimonio.

Q. *Quid est Matrimonium?*

R. Matrimonium (3) sub duplici aspectu considerari potest; nempe uti Contractus, et uti Sacramentum. *Matrimonium* consideratus in primo aspectu, *est Contractus legitimus, quo vir et mulier se mutuo tradunt, et acceptant corpora in ordine ad actum generationis, et se obligant ad mutuo se ad-*

---

(1) Ex Lib. Cum Cap. de donat, ad Nuptias.

(2) L. 16. *Si a Sponso C. de donat: ante Nuptias*

(3) De Matrimonii nomine, atque significatione, vid. Ferr. V. Matrimonium art. 1. n. 1. et sequen. Concina de Matrim. Cap. I.

juvandum, *atque simul perpetuo habitandum.* Consideratum vero in secundo aspectu: *Matrimonium est conjunctio maritalis viri, et faeminae inter legitimas personas individuam vitae consuetudinem retinens, divinitus instituta in signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, habens promissionem gratiae ad uniendos simul conjugum animos, et prolem pie, sanctaeque educandam.*

Q. *Quotuplex est Matrimonium?*

R. Triplex est; nempe 1. *Legitimum*; 2. *Ratum*; et 3. *Consumatum.* Primum est illud, quod ab Infidelibus contrahitur, et non est Sacramentum. Secundum est illud, quod a fidelibus contrahitur, et ratum ab Ecclesia habetur, et est Sacramentum; Tertium est illud, quod a fidelibus contractum, copula etiam carnali completur.

Q. *Matrimonium ergo inter Christianos est Sacramentum?*

R. Utique est Sacramentum a Christo Domino institutum (1).

Q. *Quinam sunt Ministri hujus Sacramenti?*

R. Non conveniunt inter se Doctores; quidam enim volunt esse ipsos contrahentes (2); alii Sacerdotem.

---

(1) Uti patet ex Apostolo Paulo, qui ad Eph. C. V. inquit *Sacramentum hoc magnum est* etc., atque a Tridentino Sess. XXIV. Can. 1. de fide statutum his verbis: *Si quis dixerit Matrimonium non esse vere, et proprie unum ex septem Legis Evangelicae Sacramentis a Christo Dominum institutum, sed ab hominibus in Ecclesia invectum, neque gratiam conferre, anathema sit.*

(2) Hujus sententiae sunt D. Thomas, Praeceptor Subtilis, Cardinalis Bellarminus; Fagnanus etc. quos sequitur Ferraris loc. cit. n. 28. et seq. Sententia

Q. *Quaenam est materia, et quaenam forma hujus Sacramenti?*

R. Secundum illos, qui volunt, Ministros hujus Sacramenti esse contrahentes, materia sunt ipsorum corpora; forma vero consensus expressus vel per verba, vel per signa. Secundum vero illos, qui volunt, Ministrum esse Sacerdotem, materia est consensus (1), forma vero sunt verba, quae profert Sacerdos scilicet: *Conjungo vos in Matrimonium.*

Q. *Quaenam conditiones debet habere consensus in Matrimonio contrahendo, ut illud sit validum?*

R. Sequentes debet habere conditiones; nempe 1. ut sit *verus, et mutuus* (2); 2. *Externe expressus* per verba de praesenti, vel aliis signis sensibilibus (3); 3. *Omnino deliberatus* (4); 4. *In seipso liber* (5); et 5. *Immunis a metu gravi.*

---

oppositae sunt Melchior Canus, Sylvius, et praesertim Iuveninus; Idem Ferr. a n. 43. ad fin. Vid. etiam Concina Lib. 11. Disse. 1. de Matrim. C. V. n. 4.

(1) Consul. P. L. Frraris loco laud. n. 24. et seq. Ad Matrimonii ergo valorem nacessario requiritur consensus contrahentium. Nam *causa effiiciens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per* verba (aut nutibus) *expressus*, ait Eugenius IV. In decreto; itaque si deest consensus, deest omne id, quod ad Sacramentum conficiendum requiritur; idest materia, forma, et intentio.

(2) Per talem namque consensum contrahitur Matrimonium.

(3) Per verba enim, vel signa de praesenti fit corporum traditio, in qua Matrimoninm consistit; non jam per verba da futuro quibus non fit, nisi sola promissio.

(4) Tali scilicet advertentia rationis praestitus, quae sufficiat ad peccatum mortale.

(5) Unde si talis consensus praestatur a viro perfecte ebrio, Matrimonium non subsistit.

Q. *Peccat ne qui fictum consensum praestat in Matrimonio contrahendo?*

R. Peccat, et quidem mortaliter; imo tria peccata laethalia committit; nempe unum contra veracitatem, propter mendacium, quod profert; alterum contra justitiam, quia fraudolenter alium contrahentem decipit; tertium contra reverentiam Sacramento debitam, quia falso, et sine intentione, illius adhibet signa.

Q. *Tenetur ne ad aliquid, qui ficte contraxit Matrimonium?*

R. Regulariter loquendo, tenetur sub gravi, verum praestare consensum, et illam mulierem sibi accipere in uxorem, cum qua ficte contraxerat, tum ut resarciat injuriam illi factam, tum ut impediat damna, et scandala, quae possent obvenire.

Q. *Quare dixisti regulariter loquendo?*

R. Ideo dixi, quia si qui ficte contraxit, dedit certa, et indubia, atque evidentia signa suae fictionis, et stantibus justis motivis, Matrimonium ficte contractum, declaratur nullum (1).

Q. *Ut Matrimonium sit validum sufficit ne consensus sub conditione?*

R. Si conditio est de de praesenti, vel praeterito, et tunc, dummodo existit talis conditio, Matrimonium est validum, quia in tali casu consensus evadit absolutus (2). Si vero conditio est de futuro contingente

---

(1) Quare si inter contrahentes adest maxima disparitas conditionis, status, aetatis etc. vel ex Matrimonio orirentur scandala, dissensiones, rixae, odia, sevae inimicitiae etc., Matrimonium ficte contractum est nullum. Vide quae de Sponsalibus dicta sunt pag. 193.

(2) Hinc si quis diceret: *Accipio te in uxorem si es*

et condizio est honesta, tunc Matrimonium manet suspensum, et est expectandum, ut verificatur conditio, quae si verificatur, Matrimonium erit validum; secus erit nullum.

Q. *Si quis contracto cum una Matrimonio sub conditione, antequam verificetur conditio, contrahit Matrimonium absolutum cum alia; quale Matrimonium ex his erit validum?*

R. Erit validum Matrimonium secundum, quia in eo fuit consensus absolutus, ad valorem Matrimonii requisitus. Negari tamen non potest esse illicitum.

Q. *Si quis contraheret Matrimonium sub conditione cum duabus personis, quale ex his foret validum?*

R. Si utriusque Matrimonii conditiones verificantur eodem tempore simul, et tunc nullum ex his Matrimoniis erit validum, quia incertitudo vitiat Matrimonium. Si vero conditiones unius verificantur ante conditiones alterius, et tunc est validum Matrimonium cum illa, cum qua primo adimpletae sunt conditiones. Si vero nullius verificantur conditiones, nullum Matrimonium erit validum.

Q. *Impleta conditione, debet ne apponi novus consensus, ut Matrimonium sit validum?*

R. Dissidium est inter Doctores (1).

---

virgo, si es nobilis; si es primogenita, et faemina est vere talis, tunc Matrimonium est validum; nullum vero si talis conditio non verificatur.

(1) Dicunt enim aliqui, quod verificata conditione, Matrimonium evadit absolutum; et ideo quoties primus consensus non est revocatus, opus non est novum consensum apponere. Alii, contra, dicunt, debere apponi, quia contractus nuptialis, sub conditione celebratus, potius vim habet Sponsaliorum, quam Matrimonii; unde verificata conditione, sine novo consensu; validum non erit.

Q. *Est ne validum Matrimonium sub conditione turpi, vel impossibili celebratum?*

R. Matrimonium est validum, quia in contractu Matrimoniali, tales conditiones rejiciuntur a jure (1).

Q. *Quid dicendum si conditiones turpes opponerentur bonis substantialibus Matrimonii?*

R. Tunc Matrimonium erit nullum, quia tales conditiones Matrimonii substantiam destruunt (2).

Q. *Est ne validum Matrimonium si contrahitur cum conditione servandi castitatem?*

R. Circa hoc non parum a Theologis est disputatum; maxime propter Matrimonium a Virgine Maria cum purissimo Sponso S. Josepho (3), celebratum quod fuit verum Matrimonium, non obstante quod animum habuerint castitatem non violandi. Ast dicendum est, quod si talis conditio non deducitur in pactum, dum contrahitur Matrimonium; veluti: *Accipio te in uxorem si serves in conjugio, perpetuo castitatem*, et tunc Matrimonium est nullum; si vero non deducitur in pactum, est validum (4).

---

(1) Uti ex Gregorio IX. in Cap. fin. de condition. appositis.

(2) Ita ex Greg. IX. ibid. his verbis: *Si conditiones contra substantiam Matrimonii inferantur... matrimonialis contractus, quantumcumque fuerit favorabilis, caret effectu.* Hinc si quis contrahendo Matrimonium diceret: accipio te in uxorem si filiorum procreationem impedias, si adulterabis: Accipiam te in uxorem per septem annos, et postea dimittam; vel usque dum aliam non inveniam, cum qua Matrimonium contraham Matrimonium esset nullum Nam hae, et similes conditiones destruunt Matrimonii substantiam, et maxime, si deducantur in pactum.

(3) Cons. Laur. Berti de Theol. Disc. T. VIII. p. 161. et seq.

(4) Ita Auctores.

Q. *Est ne validum Matrimonium celebratum sub causa motiva non existente* ?

R. Affirmative. Nam in Matrimonio causa motiva debet semper esse consequutio bonorum substantialium Matrimonii. Omnes vero aliae causae existimantur semper impulsivae (1).

Q. *Validum est ne Matrimonium sub demonstratione falsa celebratum* ?

R. Vel demonstratio est circa personam, et Matrimonium est nullum. Vel est circa qualitates personae, et videndum ; Si qualitates sunt deductae in pactum, Matrimonium non est validum ; si vero non sunt deductae in pactum, Matrimonium valet.

Q. *Est ne validum Matrimonium adjectione temporis celebratum?*

R. Vel tempus est appositum ad designandam durationem Matrimonii, et Matrimonium est nullum ; vel est appositum ad designandam incaeptionem obligationis ; et tunc Matrimonium est validum.

Q. *Est ne validum, atque licitum Matrimonium a filiis familias celebratum, invitis parentibus* ?

R. Est validum (2) ; sed ordinarie illicitum ; unde Ecclesia, ut loquitur Tridentina Synodus, talia Matrimonia semper reprobavit.

Q. *Cur dixisti Matrimonium hujusmodi, esse ordinarie illicitum* ?

R. Quia si parentes sine justis rationibus consensum negant, bene possunt filii Matrimonium, non obtento ab ipsis consensu, celebrare (3).

---

(1) Id autem intelligendum, quoties causa motiva non sit deducta in pactum et apposita uti conditio sine qua non.

(2) Trid. Sess. XXIV. Cap. 1. de Reform. Matrimonii.

(3) Vid. quae supra dicta sunt de Sponsalibus pag. 198.

Q. *Potest ne celebrari Matrimonium per procuratorem, et inter absentes?*

R. Affirmative. Nam Jesus Christus, elevando Matrimonium ad conditionem Sacramenti, non abstulit ab eo rationem contractus; Si ergo omnes alii contractus valide celebrantur per procuratores, et inter absentes, etiam Matrimonium taliter celebrari potest, habitis tamen quibusdam conditionibus.

Q. *Quaenam sunt conditiones, quae requiruntur ut Matrimonium, per procuratorem celebratum, valeat?*

R. Sequentes requiruntur conditiones; 1. quod procurator habeat de eo speciale mandatum; 2. quod procurator non substituat sibi alium, nisi sit ei specialiter commissum; 3. quod facultas data procuratori non sit revocata in eo tempore, in quo, nomine alterius, contrahit Matrimonium, etsi revocatio non pervenerit ad notitiam procuratoris; quia cum defecerit consensus unius partis, Matrimonium non subsistit; 4. quod facultas data procuratori, sit contrahendi cum persona certa, atque determinata; 5. quod procurator non excedat limites accepti mandati; et 6. quod procurator, Matrimonium contrahat coram Parocho, et duobus testibus.

Q. *Matrimonium per procuratorem celebratum, est ne validum, etiam in ratione Sacramenti?*

R. Dissidium super hanc rem est inter Doctores. Probabilius autem videtur esse validum. Nam 1. Ecclesia talia Matrimonia non improbat, nec unquam declaravit illa non esse Sacramenta; 2. In tali Matrimonio contrahendo, omnia sunt, quae ad validum Matrimonium requiruntur; scilicet *materia*, *forma*, *intentio*, *et Minister*; 3. talia Matrimonia celebrantur eo ritu religioso, quo alia Matrimonia celebrantur. Adeoque etc.

CAPUT III.

De Bonis Matrimonii.

Q. *Quot sunt bona Matrimonii?*

R. Bona Matrimonii tria sunt: nempe *fides* (1); *Proles* (2), et *Sacramentum* (3).

Q. *Quotuplex est Polygamia?*

R. Duplex est, simultanea scilicet, et successiva. Prima habetur quando vir Matrimonium cum pluribus faeminis contrahit; vel una mulier accipit in Matrimonium plures viros (4). Secunda vero habetur quando vir, mortua prima uxore, contrahit Matrimonium cum alia; vel quando mulier, mortuo marito, alium ducit; et haec proprie dicitur Bigamia.

Q. *Poligamia simultanea est ne licita?*

R. Quidquid sit de Matrimoniis Veteris Testamenti, in Nova Lege, Poligamia prohibita est (5). Nam quod homo plures habeat uxores, repugnat principiis secundariis naturae, quippe quod adversatur pacificae

---

(1) Hoc est mutua Conjugatorum unio; ita ut aliis, usus suorum corporum non tradatur; et huic opponitur Polygamia, scilicet pluralitas uxorum.

(2) Scilicet filiorum procreatio, quae est finis, propter quem, contrahitur Matrimonium.

(3) Idest Matrimonii firmitas, ed indissolubilitas, quatenus est Sacramentum.

(4) Et haec proprie, non *Polygamia*, sed potius *Polyandria* dici debet.

(5) Uti probat Tridentina Synodus ex illo Christi Domini apud Mattheum Cap. XIX. *Itaque jam non sunt duo, sed una caro*; unde et Sess. XXIV. Can. 2. decrevit, dicens: *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit.*

cohabitationi plurium uxorum, admodum difficilem reddit filiorum educationem, et thori aequalitatem perturbat.

Q. *Est ne saltem licita Polygamia successiva?*

R. Affirmative. Nam licet Ecclesia declaraverit, Matrimonium illorum, qui successive pluries illud contrahunt, producere irregularitatem, et benedictione Sacerdotali orbari, numquam tamen illud, veluti illicitum, prohibuit.

Q. *Potest ne solvi Matrimonium quoad vinculum?*

R. Si Matrimonium est jam consumatum, solvi nequit (1), Si vero Matrimonium est tantummodo ratum, solvi potest per professionem religiosam unius ex conjugibus in aliqua Religione ab Ecclesia approbata (2), aut per dispensationem Summi Pontificis (3).

Q. *Si ex Conjugibus unus convertatur ad fidem, alio remanente in infidelitate, ipsorum filii cui pertinent?*

R. Si filii nondum adepti sunt usum rationis,

---

(1) Et sane inquit Deus de primis Conjugibus Adamo, et Eva. *Erunt duo in carne una.* Gen. XI. Itaque per Matrimonium duo, hoc est vir, et mulier; *Jam non sunt duo, sed una caro* . . . concludit Christus Dominus Matthaei Cap. XIX. *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Et *qui dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, maechatur: et qui dimissam duxerit, maechatur.*

(2) Ita ex Tridentino, in quo Sess. XXIV. Can. 6 legitur: *Si quis dixerit, Matrimonium ratum et non consumatum, per solemnem Religionis professionem alterius Conjugum, non dirimi, anathema sit.* Vid. P. Concina Dissert. I. de Matrimonio Cap. VI.

(3) Concina, ut supra Cap. VII. ubi plura pro, et contra.

pertinent ad conjugem fidelem, et illum debent sequi ne a parente infideli pervertantur. Si vero sunt rationis capaces, possunt ipsi, sequi, quem voluerint sive fidelem, sive infidelem; quia nemo potest cogi ad fidem amplectendam; sed solum omnibus modis ad id faciendum, quia est unica verax, quae cultum Deo debitum praestat, fidelem reddit Deo acceptum, et haeredem Regni Coelorum.

Q. *Quid est Divortium?*

R. Divortium est separatio conjugum quoad thorum, et cohabitationem, manente vinculo Matrimoniali, sive ad tempus, sive in perpetuum, gravibus, et justis da causis facta.

Q. *Potest ne fieri tale Divortium?*

R. Utique potest fieri; ut declaratum est a Tridentina Synodo (1).

Q. *Quibus de causis fieri potest divortium?*

R. Duabus de causis; vel nempe amore virtutis, vel culpa unius conjugis.

Q. *Quid requiritur, ut divortium, factum amore virtutis, sit licitum?*

R. Quod principaliter requiritur est consensus alterius conjugis; qui consensus debet esse omnino liber, et nulla vi, vel fraude extortus (2); atque insuper, ut non sit periculum incontinentiae.

---

(1) En ejus verba Sess. XXIV. Can. 8. *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas, separationem inter conjuges, quoad thorum, seu quoad cohabitationem ad certum, incertumque tempus, fieri posse decernit, anathema sit.*

(2) Apostolus enim ad Corinthios scribens Epist. I. Cap. 7. v. 5. ita loquitur conjugatis: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.*

Q: *Quaenam requiruntur, ut unus ex conjugibus licite possit ingredi Religionem, et in ea professionem solemnem emittere?*

R. Tria requiruntur; nempe 1. Liber consensus alterius conjugis; 2. Ut si conjux, qui praestat consensum sit juvenis, Religionem profiteatur; 3. Quod si conjux talis sit senex, et immunis a suspicione incontinentiae, emittat votum perpetuae castitatis in manus Episcopi.

Q. *Potest ne maritus, post Matrimonii consumationem, de consensu suae uxoris, suscipere Ordines Sacros?*

R. Potest, dummodo ipsa prius emittat professionem in aliqua Religione approbata, si est juvenis; et si est senex, et non suspecta de incontinentia, faciat votum castitatis, saltem in saeculo.

Q. *Si quis contra uxoris voluntatem, in aliqua approbata Religione, emitteret professionem, aut susciperet Ordines sacros, quid foret agendum?*

R. In tali casu professio est nulla; Unde ab uxore requisitus, debet reddere, sed non potest petere. Mortua vero uxore, debet servare continentiam, at non tenetur regredi in Religionem, quia professio fuit nulla. Si vero suscepit Ordines Sacros, remanet perpetuo suspensus, et irregularis, atque ab uxore requisitus, debet reddere, non vero petere.

Q. *Quibus de causis licite, pro culpa alterius conjugis, fieri potest Divortium?*

R. Variae sunt causae; nempe 1. *Adulterium*; 2. *Haeresis*, (1); 3. *Saevities* (2); 4. *Corporis, vel*

---

(1) Potest ergo uxor facere divortium, quoties vir lapsus in haeresim, haereticus sit ab Ecclesia declaratus.

(2) Quare si mulier adversus mariti saevitiem non potest sufficienter de securitate provideri, potest ab eo dividi.

animae aegritudo (1).

Q. *Quid hic intelligitur nomine adulterii, et quare causa ipsius fieri potest divortium inter conjuges?*

R. Nomine adulterii hic intelligitur omnis concubitus illicitus cum alio supposito, qui dividens carnem conjugis, directe opponitur fidei conjugali, et hinc dat jus faciendi divortium (2).

Q. *Dantur ne Casus, in quibus, propter adulterium, fieri nequeat divortium?*

R. Affirmative; et sunt 1. Si adulterium non fuit culpabile (3); 2. Quando ambo conjuges sunt rei adulterio (4). 3. quando adfuit consensus alterius conjugis in adulterio (5); 4. Si adulterium fuerit

---

(1) Hinc si ex mariti aegritudine potest aliquod grave damnum uxori obvenire, quod vitari non posset, liceret tunc divortium facere. Atque idipsum dicendum si ex vita scelesta viri timeretur praevaricatio etiam uxoris, vel aliud grave damnum spirituale.

(2) Itaque tenetur maritus facere divortium cum sua muliere adultera, si ipsa non emendatur; et si emendationem in illa non videns, habebit cum ea copulam, vel cum ea habitabit, per Sacros Canones, poenitentiae duorum annorum subijcitur.

Idipsum vero dici nequit de uxore erga maritum adulterum; quia non praesumitur, eam adulterio illius consentire, cum non possit illud impedire.

(3) Hinc si mulier probabiliter putans, proprium virum esse mortuum, bona fide cum alio contraxit Matrimonium, et consumavit, adveniens maritus, et percipiens quod est factum, non potest divortium cum illa facere.

(4) Nam injuria unius, alterius injuria compensatur.

(5) Volenti enim, et consensienti nulla fit injuria.

condonatum (1).

Q. *Conjux innocens potest ne, propria auctoritate, facere divortium, an debet expectare sententiam Judicis?*

R. Semper ac certo scit, alterum conjugem commisisse adulterium, vel delictum est publicum, potest conjux innocens, propria auctoritate divortium facere, ast quoad thorum. Si vero delictum est occultum; et vult fieri divortium etiam quoad habitationem, et tunc requiritur Judicis sententia, dummodo non timeatur aliquod malum imminens. Quia in tali casu potest illud facere, etiam quoad habitationem, sed ad aliquod tempus, ut impediantur scandala, et damna.

Q. *Potest ne conjux reus, sine licentia innocentis, statum perpetuum assumere?*

R. Si innocens jam suscepit statum perpetuum, vel dedit illi licentiam assumendi statum perpetuum, et tunc potest. Si non obtinuit licentiam, et id fuit quia neglexit illam obtinere, et tunc non potest; si vero semel, atque iterum procuravit, poenitentia ductus, reconciliari cum conjuge innocente, sed ille recusavit jam emendatum suscipere, et tunc, etiam sine illius licentia, et facultate, potest statum perpetuum assumere.

Q. *Tenetur ne conjux reddere debitum Matrimoniale alteri conjugi?*

R. Tenetur quando alter conjux petit serio, et instanter, nec adest aliqua justa, et rationabilis causa illud denegandi (2).

---

(1) Injuria enim jam condonata nequit amplius vindicari.

(2) Clara sunt, et expressa D. Pauli verba, I. ad Corinthios Cap. VII. v. 3. ubi ait: *Uxori vir debitum reddat, et uxor viro*; Nam, sequitur v. 4. *Mu-*

Q. *Ob quem finem actus conjugales licite, atque honeste possunt exerceri?*

R. Ad filiorum procreationem; ad satisfaciendum debito conjugali; et ad tollendam incontinentiam sive propriam, sive alterius conjugis.

Q. *Possunt ne exerceri actus conjugales ob motivum solius voluptatis?*

R. Non possunt; et oppositum est damnatum (1).

Q. *Quomodo peccat conjux non reddendo debitum alteri parti illud petenti?*

R. Peccat graviter (2).

Q. *Dantur ne casus, in quibus conjux non peccat, etiamsi neget debitum?*

R. Affirmative; scilicet 1. quando non potest illud reddere sine notabili periculo sive animae, sive corporis; 2. quando conjux peteret in amentia, vel ebrietate. 3. quando nimis immoderate peteret; 4. quando conjux non habet jus petendi; et 5. quando peteret modo, tempore, et loco indebito (3).

Q. *Dantur ne Casus, in quibus non licet petere sine gravi culpa?*

---

lier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Quare actus conjugales sunt liciti, et exercendi inter conjuges; imo sunt etiam meritorii, si debitis cum circumstantiis exerceantur; hoc est modo, loco, et fine debito.

(1) Uti patet ex prop. 9. ab Innocentio XI. proscripta, cujus haec sunt verba; *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, penitus omni caret culpa, et defectu veniali.*

(2) Uti patet ex verbis supra laud. Apost. I. ad Cor. *VII. v.* 3. *et* 4.

(3) Pro aliis casibus, consul. P. Ferraris V. *Debitum Conjugale* art. 1. n. 9. et seq.

R. Affirm., et sunt quando quis vovit castitatem sive ante, sive post Matrimonium; vel contraxit affinitatem, vel cognationem spiritualem post Matrimonium cum altero conjuge; vel quando contraxit cum dubio de valore Matrimonii.

CAPUT IV.

De Impedimentis Matrimonii.

Q. *Quotuplicis generis sunt Matrimonii impedimenta?*

R. Duplicis; nempe alia simpliciter *impedientia*; et alia *dirimentia*. Primi generis impediunt solummodo Matrimonii celebrationem; secundi generis vero illud dirimunt, hoc est nullum reddunt (1).

Q. *Quot sunt Impedimenta Matrimonium impedientia?*

R. Sunt sequentia, quae hoc versiculo continentur.

Sacratum tempus, Vetitum; Sponsalia, Votum.

Q. *Quid venit nomine* Sacratum tempus?

R. Venit tempus in quo, ex praescripto Ecclesiae, prohibentur celebrari Matrimonia cum pompa, et solemnitate; scilicet cum benedictione in Missa solemni, et publica, atque solemni asportatione sponsae in domum sponsi; nempe a Dominica prima Adventus inclusive usque ad Epiphaniam inclusive; et a die Cinerum, usque ad octavam Paschatis, inclusive (2).

(1) Quare qui contrahit Matrimonium cum impedimento impediente, valide quidem, sed illicite illud contrahit. Qui vero contrahit cum impedimento dirimente, non solum graviter peccat, sed Matrimonium est invalidum.

(2) Trid. Sess. XXIV. Cap. 10.

Q. *Quid intelligitur per vetitum?*

R. Intelligitur prohibitio facta ab Episcopo, vel Parocho, Matrimonium celebrandi, qua stante, etsi validum sit Matrimonium, si celebratur, est tamen illicitum, et graviter peccat, qui illud contrahit.

Q. *Quid intelligitur per ly Sponsalia?*

R. Intelligitur, quod qui legitime contraxit Sponsalia cum una, et illa sunt in vigore, non potest licite celebrare Matrimonium cum alia.

Q. *De quo Voto hic est sermo?*

R. De Voto simplici castitatis; de voto non nubendi; de voto suscipiendi Ordines Sacros, aut ingrediendi Religionem. Et ratio est, quia res Deo promissa nequit alteri dari.

Q. *Quid dicendum de illo, qui cum uno ex his votis Matrimonium contrahit?*

R. Qui contrahit Matrimonium cum voto simplici castitatis, graviter peccat; et nisi obtineat dispensationem, non potest debitum petere, sed tantum reddere; quia uxor jus habet petendi. Mortua autem uxore, remanet impeditus a contractione novi Matrimonii. Si vero contrahit Matrimonium cum voto non nubendi, et tunc peccat contrahendo, sed postquam contraxit, potest reddere, et petere; mortua vero uxore, non potest nubere. Si vero contraxit cum voto ingrediendi Religionem, tunc peccat tam petendo, quam reddendo; sed postquam consumatum est Matrimonium, tunc potest petere, et reddere, quia factus est impotens ad votum implendum, utpote rei per eum impossibilis; si vero moritur uxor, vel labitur in adulterium, vel dat ei consensum ingrediendi Religionem, tunc tenetur ad votum, et in Religionem ingredi.

Q. *Quot sunt impedimenta, quae dirimunt Matrimonium?*

R. Juxta Concilii Tridentini dispositiones, sunt

quindecim, quae sequentibus versiculis continentur.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas,
Ætas, Affinis, si Clandestinus, et Impos,
Raptaque sit mulier, nec parti reddita tutae.
Haec facienda vetant Connubia, facta retractant.

Q. *Quaenam ex his sunt de Jure Divino, et quaenam de jure Ecclesiastico?*

R. De jure Divino sunt quatuor; nempe 1. *Error* 2. *Consanguinitas* in certo gradu; 3. *Ligamen*; et 4. *Impotentia perpetua.* De jure vero Ecclesiastico sunt reliqua omnia.

Q. *Habet ergo Ecclesia facultatem statuendi talia Impedimenta?*

R. Affirmative, et est de fide. Ipsa enim habet a Sponso suo Jesu Christo plenariam potestatem ligandi, atque solvendi; et consequenter ea omnia statuendi, quae ad rectam fidelium gubernationem necessaria videntur (1).

Q. *Quomodo peccant qui scienter cum impedimento dirimente contrahunt Matrimonium?*

R. Graviter peccant, et juxta aliquos, sacrilegium committunt.

Q. *Incidunt ne in aliquam poenam?*

R. Si contrahunt Matrimonium cum uno ex Casibus in Clementina contentis, et incidunt in excommunicationem nemini reservatam: et si impedimentum est ratione voti solemnis in Religione approbata, incidunt in irregularitatem.

---

(1) Iure propterea, meritoque Tridentina Synodus Sess. XXIV. hunc edidit Canonem: *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constuendis errasse, anathema sit.*

Q. *Quid est error, et quotuplex est?*

R. Error est falsa acceptio unius rei pro alia. Loquendo de Matrimonio, *Error* est vel *antecedens*, qui dat causam contrahendi Matrimonium, ita ut si abesset, Matrimonium non contraheretur; et *concomitans*, qui non dat causam Matrimonio, eo quia sine ipso, adhuc Matrimonium contraheretur. Uterque autem error esse potest vel circa personam, accipiendo unam pro alia; veluti Bertam pro Caja; vel circa qualitates personae, veluti si quis putaret contrahere Matrimonium cum puella nobili, diviti, pulchra, et contrahit cum alia abjectae conditionis, paupere, et deformi.

Q. *Quinam error reddit, Matrimonium nullum?*

R. Error circa personam; et ratio est, quia qui contrahit Matrimonium cum Berta, putans esse Cajam, consensus quem apponit, est pro Caja, non pro Berta. Itaque deficiendo consensum cum Berta, cum qua per errorem contrahit, Matrimonium jure Naturae, est nullum.

Q. *Datur ne casus, in quo error circa qualitatem personae reddit Matrimonium nullum?*

R. Datur, et est quando error qualitatis redundat in personam; hoc est, quando qualitas designat aliquam determinatam personam; vel quando qualitas personae intenditur uti conditio, sine qua non contraheretur Matrimonium (1).

---

(1) Hinc si quis non cognoscens filias alicujus Magnati, ex. gr. intentionem haberet contrahendi Matrimonium cum illius primogenita, interim contraheret cum secundogenita, Matrimonium esset nullum; quia intendens contrahere cum primogenita, designavit personam; adeoque Matrimonium cum secundogenita, caruit consensu; et ideo fuit nullum. Sicuti etiam, si quis diceret: contraho Matrimonium cum Caja, dummodo habeat

Q. *Quid hic intelligitur per conditionem?*

R. Per conditionem hic intelligitur servitus vera, atque perfecta, qualis proprie est illorum, qui dicuntur Mancipia, in quos Dominus habet plenum jus; et ideo potest vendere, aliis locare, et operibus servilibus occupare.

Q. *Quando talis servitus reddit nullum Matrimonium?*

R. Tunc reddit, quoties homo liber contrahit Matrimonium cum aliqua, quae est serva, illius servitutem ignorans. Vel etiam, quando mulier libera contrahit cum aliquo viro, illius servitutem ignorans. Nam in tali casu, persona quae libera est, contrahens cum serva, evadit pejoris conditionis. (1).

Q. *Dantur ne Casus, in quibus, etsi unus conjugum ignoret servitutem alterius, tamen Matrimonium subsistit.*

R. Dantur sequentes; nempe 1. quando Dominus confert instrumentum dotale suae servae, quae vult contrahere; 2. quando Dominus accipit sibi in uxorem suam servam; vel Domina accipit in maritum suum servum; 3. quando Dominus tradit servam homini libero, qui illius servitutem ignorat; vel si per seipsum non tradit illam, consentit tamen, quod

---

magnam dotem, et Caja, dote caret, Matrimonium est nullum, quia consensus fuit alligatus conditioni. Unde deficiente conditione, consensus non subsistit, et non subsistente consensu, nec etiam Matrimonium subsistit.

(1) Hinc validum est Matrimonium duorum servorum, licet unus, alterius servitutem ignoret, quia sunt aequalis conditionis. Atque idipsum dicendum de illo, qui cum sit liber, et sciat personam cum qua vult contrahere Matrimonium esse servam, adhuc Matrimonium contrahit: quia ut saepius dictum est, volenti, et consentienti non fit injuria.

alius faciat, vel veritatem non patefaciat; quia in tali casu, per Legum dispositiones, servus propter Matrimonium, libertatem adquirit (1).

Q. *Ex quonam voto oritur impedimentum dirimens Matrimonium?*

R. Ex voto solemni emisso vel in Professione Religiosa, vel in susceptione Ordinis Sacri (2).

Q. *Est ne differentia inter votum solemne Ordinis Sacri, et votum solemne emissum in professione religiosa?*

R. Affirmative. Nam votum solemne Ordinis Sacri dirimit Matrimonium contrahendum, non vero Matrimonium jam contractum, esto non fuerit consumatum (3). At votum solemne Professionis Religiosae, non solum dirimit Matrimonium contrahendum; sed illud etiam, quod jam fuerat contractum, dummodo non fuerit consumatum (4).

Q. *Quare statuit Ecclesia, ut votum solemne emissum in Professione Religiosa dirimeret Matrimonium ratum, et non jam votum emissum per susceptionem Ordinis Sacri?*

---

(1) Cum hodie apud Christianos non amplius adsint Mancipia; inutile hic est de tali impedimento ulterius verba facere.

(2) Ita ex Cap. Unic. de Voto in 6. et ex Trid. Synodo, quae *Sess. XXIV. de Sacram. Matrim.* C. 9. haec statuit: *Si quis dixerit, Clericos in Sacris ordinibus constitutos, vel Regulares Castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto . . . Anathema sit.*

(3) Ita Joann. XXII. in Extravag. *Antiquae de Voto.*

(4) Uti est a Trid. statutum Sess. cit. Can. 6 his verbis: *Si quis dixerit, Matrimonium ratum, non consumatum, per solemnem Religionis professionem alterius Conjugum non dirimi, anathema sit.*

R. Quia per Professionem Religiosam censetur fieri perpetua, atque perfectissima traditio propriae personae Religioni, et reciproca obligatio propriae personae cum Religione; id quod est veluti quoddam spirituale Matrimonium, cui debet cedere illud cum carne initum. Per susceptionem vero Ordinis Sacri non fit talis perfecta traditio personae, et ideo Matrimonium contractum ratum, non dirimitur.

Q. *Incidit ne in aliquam poenam, qui post contractum Matrimonium suscipit Ordines Sacros?*

R. Nisi obtinuerit licentiam suae uxoris (1); vel fuerit jam sequutum divortium, incidit in irregularitatem.

Q. *Qualis debet esse uxoris licentia, ut maritus possit Sacros Ordines suscipere?*

R. Licentia debet esse libera, spontanea, et expressa; Uxor vero, data licentia, vovere debet perpetuam castitatem.

Q. *Quantum temporis spatium ab Ecclesia conceditur conjugibus ad deliberandum ingressum in Religionem?*

R. Bimestre a contracto Matrimonio. Intra enim tale tempus, conjuges, cum non habeant jus petendi debitum, neque obligationem reddendi, liberum est illis transire ad meliorem statum, atque hinc etc.

---

(1) Uti ex Cap. V. *Coniugatos.*

CAPUT V.

De Impedimento Cognationis.

Q. *Quid, et quotuplex est Cognatio?*

R. Cognatio est vinculum personarum, ortum vel a natura, vel a Lege. Ea triplex est; scilicet *carnalis*, seu *Naturalis*; *Spiritualis*, et *legalis*.

Q. *Quid est Cognatio carnalis?*

R. Est vinculum personarum ab eodem stipite, carnali propagatione descendentium, seu quarum una descendit ab altera.

Q. *Quid est Stipes?*

R. Est illa persona, a qua aliae personae, de quarum cognatione tractatur, carnali propagatione descendunt.

Q. *Quid est linea consanguinitatis?*

R. Est ordinata series talium personarum ab eodem stipite descendentium, gradus continens, et numeros distinguens.

Q. *Quotuplex est linea?*

R. Duplex; scilicet *recta*, et *transversalis*, sive *collateralis*. Linea recta est illarum personarum, quarum una procedit ab altera. Et duplex est, videlicet descendentium, si fiat descendendo, V. g. a Patre ad Filium, et suos Nepotes; et ascendentium, si fiat ascendendo, uti a Filio ad Patrem, a Nepote ad Avum, Proavum, Abavum etc. Linea vero transversalis, sive collateralis est illarum personarum, quarum una non procedit ab altera, licet omnes procedant ab eodem stipite; uti fratres, Consobrini etc. Et haec duplex est: aequalis nempe, et inaequalis. Aequalis est habitudo inter personas ab eodem communi stipite aequaliter distantes; veluti inter Fratres, et Sorores, Patrueles, et Consobrinas. Inaequalis vero est habitudo inter personas inaequaliter a communi

stipite distantes; uti Fratres, et Filii sororis.

Q. *Quid est gradus?*

R. Gradus est ipsa distantia unius personae ab altera in eadem linea consanguinitatis, in ordine ad eundem stipitem.

Q. *Quaenam sunt regulae cognoscendi quot gradibus distent inter sv consanguinei?*

R. Sunt tres, nempe prima pro linea recta, haec est; *Ascendentium, et descendentium tot sunt gradus quot sunt personae, de quibus quaeritur, computatis intermediis, dempto stipite* (1). Secunda pro linea transversali aequali, est haec. *Quot gradibus quaevis duarum personarum, de quibus quaeritur, distat a proximo comuni stipite, a quo ambae descendunt, tot gradibus distant inter se* (2). Tertia vero pro linea transversali inaequali, est haec· *Quot gradibus remotior ex personis, de quibus quaeritur, distat a communi stipite, a quo ambae proxime descendunt, tot gradibus distant inter se* (3).

---

(1) Hinc Nepos distat ab Avo duobus gradibus. Et Sane Pater, Filius, at Nepos sunt tres personae; hinc dempto stipite, scilicet Avo, remanent duo.

(2) Itaque duo fratres distant inter se uno gradu, quia uno gradu distant a communi stipite, nempe a Patre.

(3) Quapropter Nepos distat a Patruo duobus gradibus, quia ipse, qui est persona remotior, duobus gradibus distat a communi stipite.

Atque haec dicta sunt, inspecto Jure Canonico. Nam Jus Civile ad computationem graduum attendit ad gradus singulorum. Unde per Ius Civile, tres fratres, distant inter se tribus gradibus, quia unusquisque ipsorum uno gradu distat a patre. Consul. P. Lucius Ferraris de Imp. Matrim. Art. 1. n. 38. et seq.

Q. *Usque ad quem gradum se extendit hoc impedimentum?*

R. In linea recta se extendit usque in infinitum; in linea vero transversali, quidquid sit de jure antiquo, in quo usque ad septimum gradum extendebatur (1): hodie usque ad quartum gradum extenditur (2).

Q. *Quid est Cognatio spiritualis?*

R. Est propinquitas personarum, orta ex susceptione, vel administratione Sacramenti Baptismatis et Confirmationis.

Q. *Inter quas personas contrahitur hoc impedimentum?*

R. Inter Baptizantem, et Baptizatum, Baptizatique patrem, et Matrem. Inter Patrinos, et Baptizatum, Baptizatique Patrem, et Matrem; Idipsum est de Confirmatione dicendum (3).

Q. *Quaenam conditiones in Patrinis requiruntur, ut hanc contrahant cognationem?*

R. Sequentes requiruntur conditiones; nempe 1. Ut teneant infantem in Baptismo; 2. Ut teneant in primo Baptismo; 3. Ut teneant in Baptismo solemni;

---

(1) Uti ex Cap. *Non debet* D. de consang., et affin.

(2) Uti patet ex Concilio Lateranense IV. Can. 50 ubi dicitur: *Prohibitio copulae conjugalis, quae antea ad septimum usque gradum extendebatur: quartum consanguinitatis, et affinitatis gradum de caetero non excedat.* Cujus restrictionis ratio patet ex Tridentino Sessione XXIV. Cap. 2. *De reformatione*, ubi legitur. *Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitis contrahi Matrimonia, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur.*

(3) Ita expresse ex Trid. loco superius cit.

4. Ut suscipiant a sacro fonte; 5. Ut habeant intentionem praestandi munus Patrini; 6. Ut non adsit error in persona; 7. Ut sint baptizati; et si sint Patrini in Confirmatione, ut sint etiam confirmati; et 8. Ut sint designati vel a parentibus, vel ab aliis curam habentibus.

Q. *Quot conditiones requiruntur, ut baptizans contrahat hanc affinitatem?*

R. Istae duae; nempe 1. Ut sit baptizatus; et 2. ut revera baptizet.

Q. *Si quis mandat aliquem ad suscipiendum puerum in Baptismo, contrahit ne hoc impedimentum?*

R. Si mandat ad suscipiendum puerum nomine suo, et tunc contrahit, quia quod agit per mandatarium ipsi imputatur; secus non contrahit.

Q. *Si quis proprium filium baptizat, potest ne petere debitum?*

R. Si hoc facit in necessitate, potest, quia non contrahit hoc impedimentum (1): Si vero absque necessitate, non potest.

Q. *Quid est Cognatio Legalis?*

R. Est propinquitas personarum orta ex adoptione perfecta.

Q. *Quid est Adoptio, et quaenam dicitur adoptio perfecta?*

R. Adoptio est assumptio personae extraneae in filium, vel filiam. Adoptio dicitur perfecta, quae fit auctoritate Principis. Imperfecta vero quae fit auctoritate cujuscumque Judicis competentis (2).

---

(1) Ita ex Cap. 7. *Causa* 3. q. 1. ubi dicitur: *Inculpabile judicandum, quod necessitas impulit.*

(2) Quae de duplici adoptione uberius sciri possent Vid. apud P. Ferraris V. *Impedimenta* art. 1. n. 63. et seq. praecipue n. 75. etc.

Q. *Quinam est effectus adoptionis perfectae*?

R. Est impedimentum dirimens Matrimonium; idque jure Canonico (1). In jure autem Civili, alii effectus recensentur (2).

Q. *Adoptio imperfecta, et simplex, parit ne eosdem effectus*?

R. Dissidium est inter Doctores (3). Ast communior sententia est, tales effectus non parere.

Q. *Inter quas personas contrahitur cognatio legalis*?

R. In linea recta contrahitur inter adoptantem, et adoptatum, adoptatique descendentes legitimos usque ad quartum gradum, existentes sub patria potestate. In linea per modum affinitatis, inter adoptantem, et uxorem adoptati; inter adoptatum, et uxorem adoptantis. In linea transversali contrahitur inter adoptatum et filios, filiasque adoptantis legitimos et carnales usque ad secundum gradum, durante patria potestate (4). In prima et secunda linea impedimentum est perpetuum, in tertia vero temporale (5).

---

(1) Ita l. *Adoptivus* 14. *ff. de ritu Nupt.*

(2) Consul. Cod. noviss. Regni Siciliarum n. 271 et seq. pag. 54.

(3) Vid. cit. Ferraris n. 77.

(4) Ex Cod. autem noviss. n. 60. contrahitur etiam inter adoptatam, et filios adoptivos adoptantis.

(5) Hujus differentiae ratio videri poterit penes laud. P. Ferraris n. 68.

CAPUT VI.

De Impedimento Criminis.

Q. *Quale crimen, impedimentum criminis inducit?*

R. Illud quod contra fidem Matrimonii patratur, ex quo timetur mors conjugis.

Q. *Cur Ecclesia hoc impedimentum introduxit?*

R. Hac ratione introduxit, ne sub spe futuri Matrimonii, sumeretur ansa machinandi mortem conjugis.

Q. *Unde oritur hoc impedimentum?*

R. Oritur ab uno ex sequentibus quatuor capitibus; nempe I. ex homicidio cum conspiratione (1); II. ex adulterio cum homicido (2) III. ex adulterio cum promissione Matrimonii (3); IV. ex Adulterio cum Matrimonio attentato (4).

Q. *Quaenam conditiones requiruntur ad contrahendum hoc impedimentum; ratione homicidii cum conspiratione?*

R. Haec quae sequuntur; scilicet 1. Matrimonium antecedens fuerit validum (5); 2. Ut adsit con-

---

(1) *Argum. C. Laudabilem* 1. *de convers. Infidelium*: *et Cap. Si quis vivente* 5. caus. 31. q. 1.

(2) *Arg. Cap. Significavit nobis* 2. *et Cap. Super hoc* 3. *de eo qui duxit in Matrimonium.*

(3) Ex Cap. *Veniens* 7. *de eo qui duxit in Matrimonium.*

(4) *Arg. C. Propositum* 1. *o. cum haberet* 5.

(5) Unde si quis contraxit Matrimonium cum aliqua occultum impedimentum habente, V. g. affinitatis, et postea. cospiratione cum ea facta, occidit illius virum, et cum ea contrahit, Matrimonium erit validum, quia Matrimonium antecedens, ob impedimentum dirimens, fuerat nullum.

spiratio ex parte utriusque (1); 3. Ut sequatur mors conjugis (2); et 4. ut sequatur causa contrahendi Matrimonium cum ipsa (3).

Q. *Quaenam conditiones requiruntur ad contrahendum impedimentum ratione adulterii cum homicidio?*

R. Istae quatuor, quae sequuntur; scilicet 1. Ut Matrimonium antecedens sit validum (4); 2. Ut adulterium sit ex utraque parte perfectum et formale (5); 3. Ut homicidium fuerit factum causa contrahendi Matrimonium cum adultera (6).

Q. *Quaenam conditiones requiruntur ad contrahendum hoc impedimentum ratione adulterii cum promissione Matrimonii?*

R. Quatuor quae sequuntur; scilicet 1. ut Ma-

---

(1) Hinc si Titius, captus amore Bertae, ea inscia, vel dissentiente, ejus virum occidit, et postea contrahit cum ea Matrimonium, Matrimonium est validum, quia defuit conspiratio.

(2) Quare si aliquis ex conspiratione dat venenum marito Cajae, ut eum interimat, et ille moritur, non veneno, sed alia de causa, si post illius mortem cum Caja contrahit Matrimonium, valide contrahit.

(3) Unde si quis odio, maritum Cajae occidit, non ad finem contrahendi Matrimonium cum Caja, secuta illius morte, potest cum ea valide contrahere.

(4) Hinc si Titius occidit virum Lucillae, qui cum impedimento affinitatis contraxerat Matrimonium, et postea ipse cum Lucilla contrahit, Matrimonium est validum.

(5) Quare si Cajus habuit copulam cum Berta putans esse solutam, et Berta occidit virum suum, ut contrahat Matrimonium cum illo, valide contrahit.

(6) Si alio fine, puta causa liberius fornificandi, mulier suum virum occidit, tunc non adest impedimentum.

trimonium antecedens fuerit validum; 2. Ut adulterium, et promissio fuerint facta vivente conjuge (1); et 4. ut promissio fuerit signis externis manifestata, et acceptata.

Q. *Quot conditiones requiruntur ad contrahendum impedimentum ratione adulterii cum Matrimonio attentato?*

R. Sequentes; nempe 1. Ut Matrimonium antecedens fuerit validum; 2. Ut adulterium fuerit perfectum, et formale; et 3. Ut Matrimonium fuerit attentatum, vivente altero conjuge (2), sive sit ante, sive post adulterium.

Q. *Quid dicendum si duo infideles, in infidelitate contraxerint Matrimonium cum supradictis criminibus, et postea ad fidem conversi, et baptizati, volunt contrahere inter se Matrimonium?*

R. Ipsi bene possunt contrahere Matrimonium, quia cum talia crimina fuerint ab ipsis in infidelitate commissa, non contraxerunt tale impedimentum, quod cum sit de jure Ecclesiastico, non obligat, nisi solos Ecclesiae subditos (3).

---

(1) *Arg. Cap. Significastis* 6. *de eo qui duxit in Matrimonium.*

(2) Ita ex Cap. *Significasti.*

(3) Vid. P. Ferraris cit. n. 158.

CAPUT VII.

De Impedimento disparitatis Cultus, Vis, Ordinis, Ligaminis, et Honestatis.

Q. *Quando habetur impedimentum disparitatis Cultus?*

R. Quando baptizatus vult contrahere Matrimonium cum persona non baptizata (1).

Q. *Quare Ecclesia hoc impedimentum praescripsit?*

R. Ad tollendum omne periculum subversionis.

Q. *Quid dicendum si quis Matrimonium contraheret cum haeretica, et vicissim?*

R. Matrimonium, ritu tamen Catholico contractum, esset validum, sed tamen illicitum (2).

Q. *Dantur ne Casus, in quibus licitum est Matrimonium contrahere cum persona haeretica?*

R. Affirmative; et sunt 1. quando adest Pontificis Romani dispensatio(3); 2. quando adest consuetudo uti accidit in Germania, remoto tamen periculo subversionis, et scandali; 3. quando persona haeretica

---

(1) Ita ex Cap. Cave 28. q. 1.

(2) Ast pro hac re consul. P. Ferraris V. *haeretici* n. 20. ad 26.

(3) Quare ex novissima dispositione Ferdinandi II. Utriusque Siciliae, et Hierusalem Regis, die 17. Decemb. 1839. In caso di Matrimonio fra un individuo » protestante de'Reggimenti Svizzeri con una donna Cat» tolica suddita della M. S. quantunque vi siano i re» quisiti, e le conditioni volute da regolamenti Ci» vili, e Militari, non si accordi il permesso militare, » ne si esegua il Matrimonio, se prima i contraenti » non abbiano ottenuta la debita dispensa dal Sommo » Pontefice.

vere promittit se suscepturum fidem Catholicam post Matrimonium, et causam assignat, quare anteponat Matrimonium conversioni (1).

Q. *Est ne validum Matrimonium per vim contractum?*

R. Si vis est absoluta, Matrimonium omni jure est nullum, quia deest necessarius consensus (2); Si vero est respectiva, hoc est metus, et tunc si talis metus est gravis, injuste incussus, et causa extorquendi consensum, et tunc est etiam nullum, jure positivo (3)

Q. *Peccat ne, et incurrit in aliquam poenam, qui metum injuste incutit ad Matrimonium contrahendum?*

R. Graviter peccat; et quidem contra justitiam, quia per injuriam extorquet ab alio rem tanti momenti; nempe Matrimonium; et contra Religionem, quia violat reverentiam Sacramento debitam. Quod si qui metum incutit est Magistratus, ex Tridentino (4), incidit in excommunicationem nemini reservatam.

Q. *Titius, contracto per metum Matrimonio, habuit copulam cum uxore, censetur ne firmasse Matrimonium?*

R. Si copulam habuit animo solum fornificandi, et tunc non firmavit; si vero copulam habuit affectu maritali, et tunc firmavit (5).

Q. *Quid intelligitur per impedimentum Ordinis?*

---

(1) Ex Concilio Chalcedonensi Can. 14.
(2) Vide pag. hujus 3. P.
(3) Nam uti habetur C. *Cum locum* 14. *de Sponsalibus*: Qui est contracturus Matrimonium *plena debet securitate gaudere, ne per timorem dicat sibi placere quod odit, et sequatur exitus, qui de invitis solet nuptiis provenire.*
(4) *Sess. XXIV. Can.* 9. *de reform.*
(5) Ita ex Cap. *Significasti.*

R. Intelligitur, quod qui in Sacris est ordinatus, non potest contrahere Matrimonium; et si illud contrahit, Matrimonium est nullum, et incidit in irregularitatem ratione bigamiae similitudinariae; nec non in excommunicationem nemini reservatam (1).

Q. *Quando habetur impedimentum ligaminis?*

R. Habetur quando baptizatus, vivente adhuc sua conjuge, contrahit Matrimonium cum alia persona (2).

Q. *Quaenam certitudo de morte alterius conjugis requiritur, ut possit valide quis contrahere Matrimonium cum alia?*

R. Certitudo moralis (3).

Q. *Quid agere debet qui contraxit Matrimonium, bona fide, cum muliere, cujus vir putabatur mortuus, ast vivens reperitur?*

R. Debet cedere proprio suo priori viro uxorem, quia Matrimonium cum illa contractum, ratione impedimenti ligaminis, fuit nullum (4). Sicuti etiam

---

(1) *Cap. Si quis Clericorum* 1. *de Clericis Conjugalis et Clement. unic. de Consanguin. et affinit.* his verbis: *Clericos in Sacris Ordinibus constitutos Matrimonium contrahentes . . . Excommanieationis sententiam, ipso facto, subjacere decernimus.*

(2) Cum enim fidelibus licita non sit Poligamia, uti jam supra dictum est Pag. Quicumque vivente propria conjuge, Matrimonium cum alia contraheret, Matrimonium esset nullum.

(3) Illa nempe certitudo, quae habetur, verbis utor P. Lucii Ferraris V. Laud. art. 2. n. 11 » quando » adest attestatio legitima Parochi, vel alia publica, » et authentica facta a Magistratu Ecclesiastico, Po- » litico, aut Militari, vel a Notario publico, aut alia » persona in publica auctoritate constituta, aut duo- » rum testium de visu, etc.

(4) Ita textu expresso *in C. Dominus* 2. *de secundis. nup.*

nullum dicendum est, si vir, licet revera sit mortuus, tempore tamen quo fuit contractum Matrimonium, fuerit vivens (1).

Q. *Quid dicendum si tempore, quo tales conjuges, bona fide, contraxerant Matrimonium, procreaverint filios?*

R. Si tale Matrimonium contractum fuit ex judicio, et assensu Ecclesiae, filii ex ipso nati reputantur legitimi, et ad haereditatem sunt admittendi (2).

Q. *Quid est impedimentum Publicae honestatis.*

R. Est propinquitas personarum, orta ex Matrimonio rato, etiam nullo, dummodo non sit nullum defectu consensus, vel in praejudicium priorum Sponsalium (3); sicuti etiam ex Sponsalibus validis, certis, atque absolutis (4).

Q. *Usque ad quem gradum extenditur hujusmodi impedimentum?*

R. Si sermo est de Matrimonio rato, extenditur

---

(1) Cum enim quando fuit contractum Matrimonium viveret vir, contrahendo alius eum ea, Matrimonium non fuit validum; adeoque licet postea vir revera decesserit, Matrimonium semper est invalidum; quia ut Reg. Juris in 6. expresse statuit: *Non firmatur tractu temporis, quod de Jure, ab initio non subsistit.*

(2) Ita expresse in Cap. *Perlatum est 8. Qui filii sint legitimi.*

(3) Ita communiter Doctores, et constat ex variis test. Juris Canonici, ut videre est apud P. Ferrar. loco laud. art. 2. n. 20. et seq.

(4) Itaque Sponsalia quovis capite nulla, vel dubia, vel conditionata, nullum pariunt hujusmodi impedimentum.

usque ad quartum gradum (1); si vero de Sponsalibus, usque ad primum gradum (2).

Q. *Si Sponsalia mutuo consensu fuerint soluta, remanet ne adhuc impedimentum Publicae honestatis?*

R. Quidquid dixerint antiqui Doctores (3), hodie certum est, adhuc inducere tale impedimentum (4).

Q. *Titius contraxit Sponsalia valida cum Caja, postea copulam habuit cum Berta sorore Cajae, potest ne cum una ex his Matrimonium contrahere?*

R. Non potest neque cum Caja, neque cum ejus sorore Berta. Non potest cum Caja ob impedimentum affinitatis contractum per copulam illicitam cum Berta illius sorore; non potest cum Berta, ob impedimentum publicae honestatis ratione Sponsaliorum cum Caja.

Q. *Est ne differentia inter Matrimonium defectu consensus, et Matrimonium in praejudicium priorum Sponsalium?*

R. 1. Matrimonium in praejudicium priorum sponsalium dicitur illud, quod quis contrahit cum aliqua, post inita Sponsalia absoluta cum illius sorore consanguinea in primo gradu.

R. 2. affirmative; et est sequens, in Matrimonio nullo defectu consensus, non oritur impedimentum publicae honestatis neque quoad antecedentia, neque quoad subsequentia; In Matrimonio vero nullo, quia

---

(1) Ita communis tenet sententia ex declar. Pii V. in Brevi edito anno 1568, quod incipit *Ad Romanum*.

(2) Uti declaravit Trid. Synod. Sess. XXIV. Cap. 3.

(3) Vide apud. Barbosam de Officio, et potest: Episcop. alleg. 51. n. 188. aliosque.

(4) Uti ex declar. Sac. Concilii ab Alex. VII. approb. quam refert Fagnanus *Lib. IV. dec. in Cap. ad audientiam*.

initus in praejudicium priorum Sponsaliorum, non oritur impedimentum quoad antecedentia, quia sponsus potest redire ad priorem sponsam, sed tantum quod subsequentia, hoc est quoad consanguineas sponsae, cum quibus non potest contrahi Matrimonium usque ad quartum gradum, propter impedimentum publicae honestatis, ortum ex Matrimonio contracto cum sorore sponsae.

CAPUT VIII.

De aliis quinque impedimentis dirimentibus; nempe Ætatis, Affinitatis, Impotentiae, Clandestinitatis, et Raptus.

Q. *Quaenam aetas requiritur ad contrahendum valide Matrimonium?*

R. In masculis requiritur aetas quatuordecim annorum; in feminis vero annorum duodecim. Quod si ante hanc aetatem, ad habendam completam, atque perfectam copulam apti cognoscantur, etiam ante dictam aetatem, valide contrahunt Matrimonium (1).

Q. *Quid est Affinitas?*

R. Affinitas est propinquitas personarum, orta ex copula carnali sive licita, sive illicita (2).

Q. *Usque ad quem gradum se extendit?*

---

(1) Ita ex *Cap. Ubi ut Cap.* puberes 3. *de des. Impub.*

(2) Non solum enim in legitimo conjugio verificatur illud Christi Matth. V. *Erunt duo in carne una*; sed etiam in fornicatione; ait namque Apostolus I. Corinth. 6. *Qui adhaeret meretrici unum corpus efficitur.*

R. Si est ex copula licita, se extendit usque ad quartum gradum; Si vero ex copula illicita, usque ad secundum (1).

Q. *Inter quas personas contrahitur hoc impedimentum?*

R. Contrahitur inter virum, et consanguineos mulieris; atque inter mulierem, et consanguineos viri.

Q. *Quaenam regula tenenda est in computando gradus affinitatis?*

R. Sequens regula; Eo gradu affinitatis vir differt a consanguineis uxoris, quo gradu consanguinitatis uxor distat a consanguineis viri, et vicissim (2).

Q. *Quo jure est inductum hoc impedimentum?*

R. Vel loquimur de affinitate orta ex copula illicita, et est de jure Ecclesiastico (3); Vel loquimur de copula licita, et an ista dirimat Matrimonium in primo gradu lineae rectae de jure naturae, vel ecclesiastico, dissident inter se Doctores (4); quod vero in omnibus aliis gradibus dirimat Matrimonium, est de jure Ecclesiastico.

Q. *Quid est impotentia, et quotuplex?*

R. 1. Impotentia est inhabilitas ad copulam carnalem habendam. Et 1. alia dicitur absoluta, si est

---

(1) Vid. Trid. Sess. XXIV. Cap. 4.

(2) Advertendum tamen hic est, virum et uxorem, non dici affines, sed affinitatis principium, sicuti pater et mater principium consanguinitatis dicuntur.

(3) Ita ex *l. 4. non facile lib. 34. tit. 10. De gradibus, et affinibus.*

(4) Verum probabilius censetur de jure naturae; idque videtur innuere Apostolus cum ad Corinthios scribens, Epist. I. Cap. 5. v. 1. ait: *Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornificatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris suis aliquis habeat.*

respectu utriusque conjugis; relativa vero si est respectu unius. 2. Alia est naturalis, seu intrinseca, et est quae provenit ex ipsius naturae defectu. Alia occidentalis, et extrinseca, quae oritur vel ex aliquo maleficio, vel hominis opera; 3. Alia est perpetua, si tolli nequeat, alia temporalis, quae potest tolli; 4. tandem alia est antecedens; si est ante Matrimonium, alia consequens, si post.

Q. *Quaenam ex his dictis, impotentia est impedimentum dirimens Matrimonium?*

R. Impotentia antecedens, perpetua; esto sit solum ex parte unius.

Q. *Quo jure est inductum hoc impedimentum?*

R. Jure naturae (1), et Ecclesiastico (2).

Q. *Quid agendum si dubitatur num impotentia fuerit antecedens, vel consequens Matrimonium?*

R. Si copula numquam haberi potuit, ita ut Matrimonium non potuerit consumari, praesumendum est fuisse antecedentem.

Q. *Quid si dubitetur, num impotentia sit perpetua, vel temporalis?*

R. Tunc non licet contrahere Matrimonium; et si Matrimonium est jam contractum, tunc conceditur conjugibus triennium pro experientia. Si elapso triennio invenitur, conjuges nullo modo potuisse habere copulam, tunc Matrimonium declaratur nullum, quia impotentia, jam satis apparet antecedens, et perpetua.

---

(1) Nam Matrimonium consistit in mutua corporum traditione ad habendam copulam, et filios gererandos. Quoties ergo quis est ad hoc impotens, Matrimonium subsistere nequit.

(2) Constat ex Cap. 6. *Fraternitatis*. *Ex Cap. Accepistis.*

Q. *Si quis nesciens alterius impotentiam, consentit contrahere cum illo, Matrimonium est ne validum?*

R. Adhuc Matrimonium est nullum; quia semper verificatur, quod impotentia fuerit antecedens; et hinc impedimentum dirimens.

Q. *Quid dicendum si impotentia non est ad coeundum, sed ad generandum?*

R. In tali casu Matrimonium est validum.

Q. *Quid si quis sciens absolutam, et perpetuam alterius impotentiam, consentit contrahere Matrimonium?*

R. Adhuc Matrimonium est nullum, quia deest finis Matrimonii.

Q. *Quid est clandestinitatis impedimentum?*

R. Est si in celebratione Matrimonti deest proprii Parochi, aut duolicis testis praesentia (1).

Q. *Quinam Parochus debet assistere matrimomonio?*

R. Sufficit praesentia Parochi alterntrius Sponsi, imo est validum Matrimonium, etiamsi unus Parochus assistat in Parochia alterius, quamvis diversae Dioecesis (2).

---

(1) Haec sunt Conc. Trid. verba *Sess. XXIV. de Reform. Matrimonii C. 1. Qui aliter quam praesente Parocho, vel alio sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos, et nullos esse decernit, prout eos, praesenti decreto irritos facit, et annullat.*

(2) Consul. P. Ferraris V. *Impedimentum art. 2 n. 62. et seq.*

Q. *Est ne validum Matrimonium celebratum coram Parocho non sacerdote?*

R. Affirmative (1).

Q. *Valet ne Matrimonium celebratum coram Sacerdote non Parocho?*

R. Si adest error communis, et titulus coloratus, vel obtinuit talis Sacerdos a proprio Parocho licentiam, valet; secus vero non.

Q. *Est ne validum Matrimonium a peregrino, clandestine, celebratum?*

R. Vel Matrimonium hujusmodi est celebratum in illis locis, in quibus viget Tridentinum, et tunc est invalidum. Si vero in locis, in quibus Tridentinum non viget, et tunc si id fecit in fraudem, et est nullum (2); secus validum.

Q. *Vagi coram quo Parocho debent contrahere Matrimonium?*

R. Coram Parocho illius loci, in quo versantur, consulto Ordinario, et diligenti inquisitione facta de illorum statu (3).

Q. *Peccant ne Parochi, qui inconsulto Episcopo, et omissa diligenti inquisitione, vagorum Matrimoniis assistunt?*

R. Graviter peccant, et possunt ab Ordinariis graviter puniri, quia in re tam gravi agunt contra expressum Tridentini decretum.

Q. *Potest ne Parochus nondum Sacerdos com-*

---

(1) Ita declaravit Sacra Congregatio Concilii in Abulensi 12. Martii 1593. lib. 7. Dec.

(2) Esto multi teneant oppositum, ut videre est apud P. Ferraris loco cit. n. 86.

(3) Ita est expresse statutum a Tridentino *Sess. XXIV. de ref.* Matrimonii C. 7.

mittere alteri non Sacerdoti, ut Matrimonio assistat?

R. Non potest, sed debet delegare Sacerdotem (1).

Q. *Praeter Parochi, vel alterius ab ipso deputati praesentiam, quid aliud requiritur ad Matrimonii valorem?*

R. Requiritur praesentia trium, vel saltem duorum testium, qui simul cum Parocho, Matrimonio assistant, et de uno, eodemque Matrimonii contractu, testari valeant.

Q. *Quinam esse possunt Testes in Matrimonio?*

R. Esse possunt omnes, et quicumque percipiunt, et intelligunt, id de quo agitur.

Q. *Quomodo peccat qui unam, vel omnes tres denunciationes omittit?*

R. Si omittit justa de causa, non peccat; secus peccat mortaliter.

Q. *Quo in loco faciendae sunt denunciationes?*

R. Faciendae sunt in Parochia utriusque contrahentis.

Q. *In quam poenam incidit Parochus, qui sine justa causa, omittit denunciationes?*

R. De jure communi incidit in suspensionem ab Officio per triennium (2). De jure vero municipali incidit in poenam carceris arbitrio Ordinarii (3).

Q. *Quid dicendum si Parochus assistat Matrimonio sine denunciationibus?*

R. Talem Parochum incidere in poenam centum ducatorum, distribuendorum puellis dotandis ejusdem loci, in quo id accidit (4).

---

(1) Ita ex Trid. Superius laud.

(2) Uti ex Cap. *Cum inito fin. de* Clandest. despons.

(3) Ita ex Synodo Neap. P. II. Cap. 9. n. 2.

(4) Ex eadem laud. Synodo.

Q. *Si factis denunciationibus Matrimonii celebratio differtur, debent ne denuo fieri denunciationes?*

R. Affirmative; idque ob periculum impedimenti affinitatis.

Q. *In quibus diebus fieri debent denunciationes?*

R. In tribus diebus festivis, interpositis aliquibus diebus ferialibus, ut detur tempus manifestandi aliquod impedimentum, quoties adsit.

Q. *Quaenam impedimenta ex vi denunciationis manifestanda sunt?*

R. Omnia impedimenta tam impedimentia, quam dirimentia, sive occulta, sive manifesta; idque sub poena excommunicationis nemini reservatae (1).

Q. *Quinam tenentur manifestare impedimentum?*

R. Omnes illi, qui illud sciunt, etiamsi sub secreto naturali sciant. Imo tenentur ipsimet contrahentes, ne se periculo exponant nulliter, vel saltem illicite Matrimonium contrahendi.

Q. *Si quis deponeret falsum impedimentum, incideret ne in aliquam poenam?*

R. Incideret in excommunicationem Ordinario reservatam (2).

Q. *Quid est Raptus prout est impedimentum dirimens Matrimonium?*

Q. Raptus est violentia faeminae abductio, de uno in alium locum, causa contrahendi cum ea Matrimonium,

Q. *Quid requiritur, ut Raptus sit impedimentum dirimens Matrimonium?*

R. Requiritur quod rapta sit faemina invita, et

---

(1) Ita ex laud. Synodo.
(2) Vid. dicta pag. 163. hujus III. P.

per violentiam rapta, et sit in potestate raptoris (1).

Q. *In quas poenas incidunt Raptores?*

R. De Jure Ecclesiastico incidunt in excommunicationem nemini reservatam; in infamiam, et in impedimentum dirimens, et in poenam dotandi raptam sive duxerit eam, sive non, judicis arbitrio (2). Quod si raptor est Clericus, incidit etiam in poenam depositionis. De jure vero nostro Municipali, incidunt in poenam relegationis (3).

Q. *Quinam, praeter raptores, incurrunt has poenas?*

R. Ex Tridentino (4), excommunicationem, et infamiam incurrunt etiam omnes illi, qui ad raptum praestant auxilium, consilium, favorem etc.

Q. *Quid requiritur ad incurrendas has poenas?*

R. Requiritur verus raptus; scilicet ut puella

---

(1) Hinc si faemina obducit virum, ut contrahat cum eo Matrimonium, non adest impedimentum. Et si vir abducit faeminam, solius causa liberius fornicandi, nec etiam incurrit tale impedimentum. Tandem si faemina volente et consentiente, fuit a viro accepta, et alibi asportata, et in loco tuto reddita, non incurritur hoc impedimentum. Vid. Trid. *Sess. XXIV. de Reform. Matrim. Cap. 6.*

(2) Ita Trid. Sess. XXIV. C. 6. Praeter autem excommunicationem, aliae poenae non incurruntur, nisi post Judicis sententiam.

(3) Uti ex Cod. noviss. poenali Lib. II. Tit. 7. Cap. 2. n. 336. cujus haec sunt verba. « Chiunque » rapisca con violenza una persona, sia per abusarne » sia per oggetto di Matrimonio sarà punito colla ri- » legatione ». Jure vero Civili incidunt in paenam capitis, et confiscationis omnium bonorum. Ita L. De *raptu virginum.*

(4) Loc. supra cit.

abducatur invita de uno in alium dissitum locum, non alio fine, quam contrahendi Matrimonium; et quod sit sub raptoris potestate, nec reddita parti tutae, unde possit dici, quod illius consensus sit omnino liber.

Q. *Ad incurrendum hoc impedimentum requiritur ne ut faemina sit honestae vitae, et ut abducatur invitis parentibus?*

R. Adest dissidium inter Doctores. Et quoad honestatem vitae in faemina volunt aliqui, requiri. Alii vero probabilius docent, non requiri, adeo ut faemina rapta, licet sit meretrix, raptus dirimit matrimonium (1). Quoad vero abductionem factam invitis parentibus, aliqui volunt, non requiri, dummodo faemina in Raptum consensiat, eamque communem dicunt esse sententiam. Alii, aliter sentiunt.

CAPUT IX.

De modo convalidandi Matrimonium nullum.

Q. *Quomodo potest convalidari Matrimonium nullum?*

R. Si Matrimonium est nullum defectu consensus, et tunc appositione consensus convalidatur. Si est nullum ratione disparitatis cultus, quando pars infidelis venit ad finem, et denuo ponit consensum. Si

---

(1) » Et ratio est, *ait P. Ferraris loco cit. n.* 123. quia Concilium non attendit ad qualitatem vir» ginis, seu honestae, sed solum ad libertatem cu» juscumque faeminae respectu Matrimonii. Universa» liter enim, et indistincte de rapta loquitur, et ubi » Lex non distinguit neque nos distinguere debemus » etc. »

ratione raptus, per novum consensum positum a rapta, posita in loco tuto. Si ratione conditionis, per novum consensum post scientiam servitutis appositum. Si ob impedimentum ligaminis, per novum consensum positum post mortem primi conjugis. Si ratione clandestinitatis, per novum consensum positum coram Prrocho, et testibus. Si vero ratione aliorum impedimentorum, et tunc convalidatur dispensatione.

Q. *Quinam potest in impedimentis Matrimonii dispensare?*

R. Pro tota Ecclesia, Summus Pontifex dispensare potest in omnibus impedimentis tam impedientibus, quam dirimentibus de Jure Ecclesiastico (1).

Q. *Datur ne casus in quo Pontifex Summus possit dispensare in impedimentis dirimentibus, de Jure divino?*

R. Affirmative; et est, quando impedimentum habet originem a voluntate humana, et ad Deum refertur, uti in impedimento voti solemnis. Id autem intelligendum est ex praesumpta Dei voluntate, et urgenti gravi necessitate (2).

Q. *Potest ne Pontifex dispensare in Matrimonio, jam legitime contracto?*

R. Si loquimur de Matrimonio rato, potest (3),

---

(1) Ita arg. ex Cap. *Proposuit* 4. *de concessione Praebendae*. Ubi dicitur: *Qui secundum plenitudinem potestatis de Jure, possumus supra jus dispensare*.

(2) Hinc, gravi necessitate urgente, potest Pontifex dispensare ut praesbyter, et Religiosus, vel Religiosa contrahat Matrimonium. Sicuti de facto dispensavit, ut videre est penes P. Ferraris loco cit. Art. III. n. 4.

(3) Ita communiter Doctores. Vid. Ferr. laud. n. 5. qui multos refert Pontifices, qui in tali Matrimonio dispensarunt.

si vero de Matrimonio consumato, non potest (1).

Q. *Potest ne Episcopus dispensare in hujusmodi impedimentis?*

R. Si loquimur de impedimentis impedientibus, et potest dispensare in Sacrato tempore, Ecclesiae vetito, et etiam in voto, dummodo tamen non sit reservatum (2). Si vero loquimur de Impedimentis dirimentibus, quae sunt de jure naturae, et non potest; si de illis, quae sunt de jure positivo, et ordinario non potest; sulummodo in aliquibus casibus urgentibus, potest dispensare sive in Matrimonio contrahendo, sive in Matrimonio jam contracto (3).

Q. *Quaenam conditiones requiruntur ut Episcopus dispensare possit in Matrimonio contrahendo, et contracto?*

R. Ut dispensare possit in Matrimouio contrahendo, hae requiruntur conditiones; 1. quando adest difficilis accessus ad Summum Pontificem; 2. quando impedimentum est occultum; 3. quando omnia sunt

---

(1) » Et ratio est, ait laud. P. Ferraris n. 60. » quia cum Matrimonium fidelium elevatum sit a Christo in Sacramentum, et significat unionem indissolubilem ipsius Christi cum Ecclesia per carnem assumptam; expresse, ipsemet Christus praecepit Matth. XIX. quod a nulla humana potestate, possit » dissolvi, ibi: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.*

(2) Quare potest Episcopus, causa occurrente, dispensare in impedimento voti simplicis castitatis sive ad tempus, sive in perpetuum, si est conditionale; vel poenale; item voti non nubendi, vel Ordines Sacros suscipiendi. Ita comm. Doctores.

(3) Non enim praesumi potest, Pontificem nolle hanc facultatem illis relaxare cum tanto animarum fidelium dispendio; cum ipsi potestas a Deo data sit in *aedificationem, non in destructionem.* 2. Cor. C. 19.

parata, et Matrimonium differri non potest sine gravi scandalo, vel damno; aut legitimanda est proles. In Matrimonio autem contracto, tunc potest dispensare. 1. quando est difficilis accessus ad Summum Pontificem; 2. quando Matrimonium, praemissis denunciationibus est contractum in faciem Ecclesiae; 3. quando impedimentum est occultum, et saltem ex parte unius, bona fide, Matrimonium est contractum; 4. quando conjuges, ab invicem, sine gravi scandalo, vel damno separari non possunt (1).

Q. *Confessarii Regulares habent ne aliquam facultatem dispensandi?*

R. Affirmative; in foro tamen Sacramenti Poenitentiae. Nam possunt dispensare super impedimento voti non reservati; scilicet suscipiendi Ordinem Sacrum; 2. Castitatis non perpetuae; 3. etiam perpetuae, sed poenalis; 4. conditionati; 5. Ex metu expressi; vel urgente necessitate; 6. non nubendi (2).

Q. *Quid agendum quoties occurrit dispensatio Summi Pontificis super aliquod impedimentum?*

Q. Si impedimentum est publicum, scribendum est Romae ad Sacram Datariam; si vero est occultum, et proveniens ex delicto, ad Poenitentiariam.

Q. *In quibus potest dispensare Sacra Poenitentiaria?*

R. In 2. et 3. gradu affinitatis, dummodo impedimentum sit occultum; et si est publicum, etiam

---

(1) Quid possint, quoad hoc, Legati a Latere, Nuncii Apostolici, Vicarii Generales etc. Vide apud Ferr. laud. art. 3. n. 10. 19. et seq.

(2) Uti clare patet ex pluribus Privilegiis a Summis Pontificibus concessis, scilicet Innocentii VIII. Eugenii IV. Martini V. Pauli III. Gregorii XIII. Ferr ut supra n. 30.

in 3. gradu consanguinitatis; modo antequam contraheretur Matrimonium, obtenta fuerit dispensatio a S. Dataria, quae non fuerit obreptitia, ob expositionem falsae copulae.

Q. *Quid intelligitur per dispensationem obreptitiam; quid per subreptitiam?*

Q. Dicitur subreptitia quando reticetur veritas, quae de stylo Curiae exprimi debet. Dicitur vero obreptitia, quando falsum omnino exponitur.

Q. *Quid dicendum si ad dispensationem obtinendam fuerint expositae plures causae, inter quas una erat falsa?*

Q. Si omnes causae fuerunt expositae per modum unius, dispensatio est invalida; Si vero non per modum unius; hoc est quando unaquaeque ex se apta erat ad dispensationem obtinendam, dispensatio valet (1).

---

(1) Atque haec pro praesenti Capite Tyroni Theologo sufficere possunt. Quoniam vero casus non desunt, in quibus debeat Confessarius maxima, diligenti, atque perspicaci prudentia procedere, oportet ut non relinquat consulere Auctores, qui de praedictis impedimentis, atque dispensationibus fusius agunt, illosque attente versare, ne nubem, ut ajunt, pro Junone, accipiat, atque erret.

TRACTATUS VIII.

DE JUSTITIA , ET JURE.

Quoties jura cuiusque sarta, tectaque servantur, et unusquisque in praxim reducit illud : *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*, humana Societas constabilitur, atque effloreseit, et omnia membra quibus constituitur, illius bonum, utilitatem, felicitatemque percipiunt. At si paulisper quis voluerit esse egoista, et quaerere solum quae sua sunt, absque aliorum suorum similium respectu, et cum illorum damno; Societas proculdubio humana, non subsistet, et in qualibet Civitate, vel familia Babelica confusio regnabit, et animorum divisio; pax, securitas, amor, omnino exularent. Hinc maxime interesse debet Sacerdotem Confessarium, nosse, quae de Justitia, et Jure scienda sunt, ut fideles sibi confitentes, opportune regere possit, et quae recta sunt, ipsis inculcare, quae autem injusta corripere, atque emendare. Qua de re Tractatum de Justitia, et Jure exponemus, et breviter explicabimus. Sit proinde.

CAPUT I.

De Justitia, et Jure in genere.

Q. *Quid est Iustitia?*

R. Justitia, prout virtus moralis (1). Est perpe-

(1) Justitia in Sacris Literis, et a Patribus, non semel pro omni virtute, et Sanctitate accipitur. Unde et viri Sancti, et Deo accepti, vulgo *justi* appellantur. Hic autem pro virtute morali illam usurpamus, et de ea sermonem facimus.

tua et constans voluntas, cuique jus suum tribuendis (1).

Q. *Quotuplex est objectum justitiae*?

R. Duplex; *materiale* nempe, et *formale*. Materiale est redditio debiti rigorosi; Formale vero est illa specialis honestas, quae elucet in debiti redditione.

Q. *Quaenam requiruntur ad veram, et rigorosam justitiam*?

R. Haec tria; scilicet 1. Ut omnino sit ad alterum; 2. Ut versetur circa debitum rigorosum; et 3. ut reddat ad aequalitatem.

Q. *Quotuplex est Justitia*?

R. Triplex est; nempe 1. *Commutativa* 2. *Distributiva*; et 3. *Legalis*. Commutativa *est virtus inclinans hominem privatum ad reddendum alteri privato, quod est ei debitum, servata aequalitate rei datae ad rem acceptam*. Distributiva *est virtus, quae inclinat Communitatem, sive ejus Principem ad distribuenda bona communia, juxta meritorum proportionem*. *Legalis tandem est virtus inclinans hominem, qui est pars Communitatis, ad ea omnia praestanda quae Communitati debita sunt, in ordine ad bonum commune.*

Q. *Est ne differentia inter has species Justitiae*?

---

(2). Ulpianus L. X. *de Just. et Jure*. Per ly *voluntas* non intelligitur hic actuale desiderium, sed habituale propositum reddendi alteri, quod suum est. Per dy *constans*, *et perpetua* intelligitur dispositio animi landi unicuique quod suum est, non vero perpetuitas actus. Per ly autem *Ius suum* intelligitur id, quod alteri ex jurae debitum est. Quare, quod liberaliter benigniter, et gratuito alteri tribuitur, non habet rationem justitiae. Per ly tandem *unicuique* intelligitur diversitas suppositorum, scilicet unius hominis ad alterum.

R. Affirmative. Nam Justitia Commutativa respicit aequalitatem aritmeticam, quae est omnimoda aequalitas; nempe rei ad rem; V. g. dati ad acceptum, mercedis ad laborem etc.; et recte ordinat partem ad partem. Distributiva respicit aequalitatem geometricam inter res distribuendas, et conditionem personarum, quibus hae res distribuuntur, et recte ordinat totum ad partes. Legalis, vero quae dicitur quoque generalis, seu publica, respicit bonum commune, et recte ordinat partes ad totum (1).

Q. *Quaenam ex his Justitiis oritur onus restitutionis?*

R. Regulariter loquendo, ex laesione Iustitiae commutativae, quia haec est proprie justitia stricte sumpta. Dixi *regulariter loquendo*, quia aliquando tale onus oritur etiam ex laesione Justitiae distributivae, et legalis, si adjunctam habeat Justitiam commutativam (2).

---

(1) Justitia ergo commutativa versatur circa commutationes contractus sive voluntarias, quae pariunt obligationes mutuo consensu paciscentium, uti in emptione, venditione, mutuo etc., sive involontarias, quae oriuntur ex delicto, quo alteri damnum injuste infertur; puta ex homicidio, furto etc. Justitia distxibutiva versatur circa honores, officia, beneficia inter partes communitatis distribuenda. Justitia vero legalis versatur circa bonum commune.

(2) Unde ad restitutionem tenentur 1. qui indignis Officia offerunt; quia ex indignis Ministris multum detrimentum Respublica recipit. 2. Rectores, et Gubernatores locorum, quoties ab iis non evertunt malefactores, qui damna inferunt. 3. qui in Concursu, indignum digno praeferunt, vel minus dignum digniori. 4. Duces, qui post partam victoriam, aut detrahunt aliquid alicui ex militibus in divisione spoliorum, aut nullum respectum habent ad eos milites, qui strenue magis, vel minus decertarunt.

Q. *Quid est Jus?*

R. Jus, hoc loco (1), *est facultas legitima ad aliquid, cujus violatio injuriam parit.*

Q. *Quotuplex est Jus?*

R. Duplex est; nempe *Jus in re*, seu *reale*; et jus *ad rem*, sive *personale*. Primum dat actionem realem, et acquiritur per ipsam rei traditionem. Secundum dat actionem in personam, ut rem, quae alicui justo titulo, debetur, tradat (2).

Q. *Quot sunt species Juris realis?*

R. Sunt quae sequuntur; scilicet 1. *Dominium*, 2. *Usus*; 3. *Ususfructus*; 4. *Servitus*; 5. *Emphyteusis*; 6. *Feudum*; 7. *Pignus*; 8. *Hypotheca*; quibus affinis est *Possessio* (3).

---

(1) Jus namque varie accipitur; praesertim tribus modis; nempe 1. pro lege, quae legitimi, et boni est regula. Unde leges omnes sive Divinae, sive humanae Jura vulgo appellantur; 2. pro actione illa, quae rem justam continet: hoc est pro eo omni, quod stricte, et rigorose debitum est, quo sensu res nostra optime dici potest jus nostrum; 3. pro legitima facultate rei alicujus, certo modo possidendae; atque in hac acceptione jus, in praesenti usurpamus.

(2) Quare si Cajus ex. g. emit librum, illumque a venditore accepit, dicitur habere jus in librum. Si vero emit librum, solvitque pecuniam, sed liber est adhuc in manu venditoris, dicitur habere jus ad librum, hoc est in personam venditoris, quae cum receperit libri pretium, tenetur illum emptori tradere, et emptor jus habet, illum a venditore repetendi.

(3) In praesenti Tractatu de primis quatuor tantum verba faciemus, de aliis vero, Deo dante, in Tractatu de Contractibus.

CAPUT II.

De Dominio, ejusque Subjecto, et Objecto.

Q. *Quid est dominium?*

R. Dominium communiter acceptum, est facultas utendi re aliqua sua, vel sibi subjecta.

Q. *Quotuplex est Dominium?*

R. Dominium duplex est; *Jurisdictionis* nempe, et *proprietatis*. Dominium Jurisdictionis est potestas gubernandi subditos; Dominium vero proprietatis est facultas disponendi de re aliqua tamquam sua, nisi lege prohibeatur (1).

Q. *Quotuplex est Dominium proprietatis?*

R. Proprietatis dominium duplex est; *perfectum*

---

(1) Porro utrum que hoc Deminium, et quidem absolutissimum, et independens, habet solus Deus, utpote qui omnia ex nihilo creavit, atque admirabili providentia regit, et gubernat; Unde in Scripturis *solus Dominus* dicitur, *Rex Regum*, *et Dominus dominantium*, et ipse est, qui bona sua hominibus dat, quibus vult: quando, et quomodo vult; nec est qui possit ei dicere: *cur ita facis*? Quoad Angelos, nulli dubium est, quod ipsis competere possit Jurisdictionis Dominum in aliquibus circumstantiis, in quibus a Deo ipsis conceditur; Unde et Angeli Regnis, Provinciis, Civitatibus, etc. in custodiam assignati, Principes in Scripturis appellantur. Ita apud Danielem Cap. X. n. 13 *Princeps autem Regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus; et ecce Michael unus de Principibus primis venit in adjutorium meum*. Et hoc jurisdictionis dominium; scilicet prohibendi permittendi, puniendi remunerandi etc., similiter habent illi omnes, qui vice Dei in Terris Populos, vel sibi subditos regunt, sive Ecclesiastici sint, sive Laici; et de hoc dominio in praesentiarum sermo non est.

nempe, et *imperfectum.* Perfectum est illud, quod complectitur tam substantiam rei, quam ejus emolumenta. Imperfectum vero est illud, quod complectitur vel solummodo substantiam, vel tantum emolumenta.

Q. *Quomodo dividitur dominium imperfectum?*

R. Dividitur in dominium *rectum*, et *utile*. Rectum est dominium nudae proprietatis, sine jure percipiendi fructus; esto vi illius percipiantur certa tributa, aut recognitiones sive reales, sive honorarias; et etiam certa jura in causa mortis, venditionis, etc. Dominium vero utile est jus ad emolumenta, sine proprietate rei. Tale est dominium quod habet Emphyteuta, Feudatarius etc.

Q. *Est ne alia divisio dominii?*

R. Maxime; nempe in *Dominium altum, et humile*. Altum est illud, quod habet Princeps in bonis subditorum, de quibus disponere potest ob bonum commune. Humile vero est illud, quod quisque privatus habet ad disponendum de bonis suis privatis, in proprium commodum.

Q. *Quid requiritur ad adquirendum dominium illarum rerum, quae nullius sunt?*

R. Sufficit sola apprehensio rei, animo faciendi rem suam, nisi aliter a Lege Civili definitum sit (1).

Q. *Quid requiritur od adquirendum dominium illarum rerum, quae sunt sub alterius dominio?*

R. Jure naturae, sufficit 1. mutuus consensus (2);

---

(1) Ita ex §. *fera Inst. de rer. divis. his verbis: Quod antea nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur.*

(2) Nam principium translationis hujus dominii est voluntas domini, addicentis alteri rem suam, et etiam voluntas recipientis, rem alienam acceptantis.

titulus (1); et (2) 3; Jure tamen Civilis, traditio.

Q. *Quotuplex distinguitur traditio?*

R. Traditio duplex est; *Realis* nempe, et *ficta*. Traditio realis, est naturalis rei datio. Ficta vero, seu Civilis est illa, quae fit vel per instrumentum, vel per traditionem clavium.

Q. *Dantur ne Casus, in quibus etiam de Jure Civili adquiritur dominium sine traditione?*

R. Dantur, et sunt 1. in haereditate, in qua haeres adquirit dominium sola aditione, hoc est acceptatione haereditatis.; 2. in Legato, et in Beneficio 3. In donatione quae fit Civitati, Ecclesiae, et aliis locis Piis; idque ob speciale privilegium (3).

Q. *Quinam sunt capaces, dominii rerum corporalium inferiorum hujus Mundi?*

R. Inter creaturas inferiores hujus Mundi, soli homines (4), sive justi sint, sive peccatores; sive fideles, sive infideles (5), sunt talis dominii capaces.

---

(1) Hoc est, ratio, propter quam dominium de uno ad alterum transfertur; uti est *venditio*, *donatio*, etc.

(2) Quod patet ex *L.* 32. *ff. de adquir. dominio*, ubi dicitur: *Numquam nuda traditio transfert dominium, sed ita, si venditio, aut alia justa causa praecesserit, propter quam secuta sit traditio.*

(3) *L. ult. C. de Sac. Eccl.*

(4) Constat id ex verbis Dei Protoparentibus dictis Gen. Cap. I. *Dominamini piscibus maris, et volatilibus Caeli, et Universis animantibus, quae moventur super terram.* Unde David. Psal. 8. ajebat Deo; *Omnia subjecisti sub pedibus ejus* (hoc est hominis) *oves, et boves universas, insuper et pecora campi.*

(5) Ita statutum legitur a Concilio Costantiensi contra Wicleffum, et Joannem Hus, Sess. VIII. et XV. in quo et damnata fuit haec Propositio: *Nullus*

Q. *Possunt ne pueri, ante usum rationis, et amentes, atque furiosi capaces esse dominii.*

R. Affirmative. Et sane ad adquirendum dominium sufficit voluntas utendi re aliqua ut propria; Jam vero hujusmodi voluntatem, experientia teste, habent pueri, et ámentes; licet per accidens, illius exercitium impeditum habeant; Ergo etc. (3).

Q. *Quale dominium habere possunt filii familias?*

R. 1. Filii familias dicuntur illi, qui adhuc sunt sub Patria potestate (4).

R. Filii familias in bonis castrensibus, vel quasi castrensibus (5), habent plenum Dominium, atque ad-

---

est Dominus Civilis, nullus Praelatus, nullus Episcopus, dum est in peccato mortali.

(3) Hoc autem, Jure Gentium est introductum, in favorem infantium, et his similium, ut essent dominii capaces quoad actum primum; quia quoad usum, et actum secundum supplet Respublica, vel Tutores et Curatores, qui ipsorum nomine, praestant consensum, et acceptationem.

(4) Patria Potestas est Jus Lege Civili inductum, quod habet solus Pater, vel Avus paternus in personas, et bona filiorum legitimorum, vi cujus disponere potest juxta Legis praescriptum.

(5) Bona castrensia dicuntur illa, quae quis acquirit ratione castrorum, sive militiae, etc., uti sunt stipendia militiae, praedae de hostibus, munera, testamenta, aut legata, causa militiae obtenta; nec non fructus vel negotiatione, vel ludo, aut propria alia industria ex bonis suis propriis lucrati, etc: Bona quasi castrentia vero dicuntur illa, quae de publico acquiruntur; veluti peculium Clericale; hoc est, omne id, quod post susceptum Clericalem statum acquiritur; peculium forense, est illud quod adquiritur ratione officii publici non

ministrationem, modo sint puberes (1). In bonis adventitiis (2), habent solum proprietatem, et ususfructus spectat ad ipsorum Patres. In bonis vero profectitiis nec proprietatem, nec usumfructum habent (3).

Q. *Dantur ne casus, in quibus etiam fructus de bonis adventitis, spectant ad filios familias?*

R. Affirmative; et primus est, quando filius adit haereditatem, patre renuente; 2. quando aliquid est relictum filio, hac conditione, ne habeat Pater usumfructum; 3. quando filius una cum Patre succedit fratri germano; 4. Quando solus ususfructus relictus est filio; 5. Quando Pater, sine justa causa, divortium instituit,

Q. *Si filius exigit a Patre suorum operum salarium, debet ne detrahere alimenta?*

R. Affirmative. Nam cum filius habeat bona propria castrensia, vel adventitia, inter quae numeratur salarium, non tenetur Patri alimenta illi gratis praestare.

---

mecanici, puta Judicis, Advocati, Notarii. Peculium scholasticum est illud, quod artibus literalibus acquiritur; veluti professione Medicinae, Iurisprudentiae, Theologiae, etc. et Peculium Palatinum, quod dono Imperatorum, Regum, Principum, etc. accipitur.

(1) Pubes dicitur ille, qui aetatem quatuordecim annorum explevit.

(2) Bona adventitia sunt illa, quae ex alio capite, a praedictis diverso, a filio obtinentur. Ex. gr. ex testamento facto ab Avo, Avia, vel alio aliquo vel fortuito, aut industria, etc.

(3) Bona profectitia sunt illa, quae de rebus paternis proficiscuntur, et filius ea administrando, vel in ipsis negotiando, lucratur, itidem quae filio dantur Patris intuitu.

Q. *Quotuplicis generis bona, respectu ad uxorem, distingui debent?*

R. Triplicis generis; scilicet, alia *dotalia*; alia *parapharnalia*, sive *extradotalia*; et *communia*. Bona dotalia dicuntur illa, quae dantur marito, intuitu Matrimonii, et ad Matrimonii onera sustinenda; scilicet ad uxorem alendam, liberos, atque familiares, et communi vocabulo dicuntur *Dos*. Bona parapharnalia, seu extradotalia sunt illa, quae ab uxore, ultra dotem afferuntur, vel quae ad eam postea obveniunt per successionem, haereditatem, Legatum, donationem, etc. Bona tandem communia sunt illa, quae constante Matrimonio, per mercaturam, vel alios titulos, ex recepta consuetudine, utrique conjugi acquiruntur.

Q. *Quorum bonorum uxor dominium habet?*

R. Vel loquimur de bonis dotalibus, et de illis uxor habet proprietatem; maritus vero usumfructum, plenamque administrationem (1). Vel loquimur de bonis parapharnalibus, et uxor de illis habet proprietatem, et usumfructum (2). Vel tandem de bonis communibus, et dominium est penes utrumque conjugem; administratio vero penes solum maritum (3).

Q. *Quid dicendum si dos consistat in pecunia, vel rebus, quae usu consumuntur, aut data sit viro, extimata eo animo, ut aestimatio venditionem constituat?*

---

(1) Ita ex *l. 2. ff. de jure dot.* Quapropter post viri mortem, uxor omnibus creditoribus personalibus est praeferenda; imo adhuc vivente viro, si ipse vergat ad inopiam, potest uxor dotem repetere.

(2) Ex L. *Hoc legis ff. de pactis convert.*

(3) Ita in Jure cautum est.

R. Ad primum dicendum est, quod si dos data est viro cum obligatione restituendi tantumdem, soluto Matrimonio, dominium dotis plene transit ad virum. Ad secundum vero, quod vir etiam de dote acquirit dominium; et soluto Matrimonio, tenetur solum ad reddendum pretium. Et in istis casibus, si dos perit, marito perit.

Q. *Quodnam est objectum dominii, seu de quibus rebus homines habere possunt dominium?*

R. Objectum dominii sunt omnes res sublunares, ut agri, Montes, Flumina, plantae, animalia sive quadrupedia, sive volatilia, sive terrestria, sive marina etc. Metalla, domus, etc. De illis enim omnibus, quae sunt in terra, homo potestatem habet disponendi in proprium commodum, atque utilitatem, secundum vero jura, et justas Leges, cujusque Regionis, et Imperii (1).

Q. *Potest ne homo habere dominium alterius hominis?*

R. Jure Naturae non potest, quia omnes homines sunt sui juris, cum sint eadem natura a Deo donati, et ab uno, eodemque Protoparente Adamo progeniti. Jure autem Gentium, et Civili, potest (1).

Q. *Quotuplici pacto possunt homines, aliorum hominum habere dominium?*

---

(1) Unde ajebat S. Augustinus Tract. VI. in Cap. 1. Joan. *Tolle jura Imperatorum, quis audet dicere haec villa mea est; meus iste servus, mea haec domus?*

(2) Et revera servitus non repugnat moribus Cristianis; Unde Apostolus I. ad Timoth. Cap. IV. *Quicumque, ait, sunt sub jugo servi, dominos suos* (etiam infideles) *omni honore dignos arbitrentur.*

R. Quatruplici; scilicet 1. *Jure belli justi*, (1) 2. *Nativitate*, ita ut qui nascitur ex serva, servus fiat (2); 3. *Justa condemnatione* (3); 4. *Venditione* (4).

Q. *Est ne licitum servis confugere ad suos?*

R. Si sermo est de illis, qui vel nativitate, vel venditione facti sunt servi, et non est licitum, modo illis tribuantur alimenta; neque vi ad peccatum impellantur (5). Si vero de illis, qui capti sunt in Bello justo, et est eis licitum.

Q. *Habere ne potest servus suorum operum dominium?*

---

(1) Si enim in Bello justo licitum eat adversârios occidere, quod est majus; a fortiori licitum est illos in servos habere. Unde dixit S. Petrus I. Cap. 2. *A quo quis superatus est, hujus est serevs.*

(2) Nam ex L. Patrum, Cod. de *rei vendit, partus sequitur ventrem.*, conditionem scilicet matris, adeo ut non considerata Patris conditione, ex serva nascatur servus, et ex libera liber. Unde et de Agar serva Abrahae ad Gal. IV. dicitur, eidem genuisse filios, non liberos.

(3) Et sane si quis ob delicta, quae commisit, potest a Suprema potestate damnari ad mortem; multo magis ab eadem Potestate, ad servitutem damnari potest.

(4) Nam sicut homo est suae libertatis dominus, et potest seipsum vendere, ita et potest alius ipsum emere, atque ipsius dominum evadere. Idque constat, non solum ex Sacris Literis Exodi XXI. Levit. XVIII., et Deuter. XV. sed ex facto S. Paulini Epiocopi Nolani, qui ut filium cujusdam viduae a servitute liberaret, seipsum servituti subjecit.

(5) Ita ex *L. 1. C. de servo fugit.*, ubi legitur: « Servum fugitivum sui furtum facere: et ideo non habere locum, nec usucapionem, nec longi temporis praescriptionem, manifestum est ».

R. Negative; quia servus non est sui juris, sed domini sui instrumentum, et possessio.

Q. *Potest ne saltem habere dominium aliquarum rerum?*

R. Juxta multos, potest habere dominium illarum rerum, quae ipsi donantur, pacto atque conditione, ut non acquirantur domino; sicuti etiam illarum, quae de bonis suis ludo, vel alia negotiatione, sine domini detrimento, lucratur.

Q. *Homo est ne dominus suae vitae, famae, et honoris?*

R. Quoad vitam, illius dominus homo non est, sed tantum usuarius, et custos; et est de fide (1); famae vero, et honoris dominus est (2).

Q. *Religiosi professi possunt ne habere dominium alicujus rei?*

R. Religiosi solemniter professi, cujuscumque Ordinis, non possunt in particulari, habere dominium rei alicujus, ita ut possint illam, tamquam propriam retinere, atque de illa pro lubitu disponere, sed tantum in communi (3). Exceptis Fratribus Minoribus tam Observantium, quam Cappuccinorum (4).

---

(1) Nam vitae humanae solus Deus est Dominus; Unde Sapientiae Cap. XVI. legitur: *Tu est dominus qui vitae et mortis habes potestatem.*

(2) Unde, et de iis curam habere tenetur, juxta illud Ecclesiastici Cap. XI. *Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit, quam mille thesauri pretiosi, et magni.*

(3) Hoc expresse habetur ex Cap. *Cum ad Monasterium 6. de statu Monach.* nec non ex Concilio Tridentino Sess. XXV. *Cap. II. de Regul.*

(4) Quia ipsi ex vi propriae Regulae Cap. VI. Nihil sibi appropriare possunt de rebus hujus Mundi neque in particulari, neque in communi; neque no-

Q. *Quale dominium Clerici saeculares habere passunt quoad bona Ecclesiastica?*

R. Quoad bona Ecclesiastica, Clerici habere possunt dominium earum rerum, quae honestae ipsorum sustentationi necessaria sunt (1); et quod superest in pauperes, aut alios pios usus erogare (2) debent.

CAPUT III.

De variis modis acquirendi Dominium.

Q. *Quot modis potest dominium acquiri?*

R. Tribus modis; scilicet 1. *Jure Naturae*, et *Gentium*, 2. *Jure Civili*, et *Canonico*; 3. *Jure particularis alicujus contractus*, *sive conventionis*. Jure naturae acquiritur dominium illarum rerum, quae proprium dominum non habent, et nullius sunt.

---

mine proprio, neque nomine conventus, uti communiter Doctores, et expresse habetur ex Concilio Trid. loco citato c. 3.

(1) *Quis enim militat suis stipendiis unquam?* ajebat Apostolus nemo certe. Si ergo Clerici Altari serviunt, de Altari vivere debent, non de propris substantiis.

(2) Alias enim graviter peccant pro gravitate materiae. Nam, ut ait S. Bernardus Epist. 2. circa finem: *Quidquid praeter necessarium victum, simpliplicemque vestitum de Altari retines, tuum non est, rapina est.* Quod si quis ex iis, quae ad honestam deservirent sustentationem, aliquid parciter vivendo, detraxerit, poterit tunc de eo, prout libet, disponere, donando parentibus, legando etc., quia pars Bonorum pro honesta ipsius sustentatione, est illius pleni juris, et dominii.

Jure Civili, et Canonico acquiritur dominium illarum rerum, quae sunt quidem alicujus, sed praefixo per Leges, vel Canones tempore, possidentur. Jure vero particulari alicujus contractus, seu conventionis acquiritur dominium rerum, quae sunt alicujus tamquam domini, et possessoris, sed in alium transferuntur per aliquem contractum, v. g. *donationem*, *venditionem*, etc. (1).

Q. *Quomodo acquiritur dominium illarum rerum, quae nullius sunt?*

R. Acquiritur per occupationem; scilicet illius sunt, qui primus ea occupavit.

Q. *Ad quem spectant animalia abherrantia*?

R. Si animalia sunt natura sua mansueta, et domestica, puta boves, oves, equi, gallinae, etc., et quantumvis abherrent, non fiunt primi occupantis, sed semper in illius dominio sunt, a quo discesserunt (2). Si vero animalia sunt faera, et sylvestria, et nullius sunt, tunc ubicunque capiantur sive in fundo proprio, sive alieno, sunt primi occupantis (3). Et ratio est quia faerae non sunt fructus fundi. Tandem si animalia faera quidem, sed jam sunt mansuefacta, quamdiu redire solent, non sunt primi oc-

---

(1) De primis duobus modis hic sermo erit; de tertio autem, Deo dante, in Tract. de Contractibus.

(2) Ita ex §. gallinarum *Inst. L.* 2. *t.* 1. ubi dicitur furari, qui haec animalia cum abberraverint, accipiunt, et detinent.

(3) Ita expresse in §. ferae Just. de rerum divisione his verbis: *Ferae igitur bestiae, et volucres, et pisces, et omnia animalia, quae mari, Caelo, et Terra nascuntur, simul atque ab aliquo capta fuerint Jure Gentium, statim illius esse incipiunt; quod enim ante nullius est: id naturali ratione occupanti conceditur.*

cupantis, sed domino comparenti restituenda sunt (1). Quod si non retinent consuetudinem redeundi, tunc fiunt denuo communia, quia nativam libertatem acquirunt; adeoque fiunt occupantis.

Q. *Ad quem spectat faera ab uno vulnerata, et ab alio capta?*

R. Si faera vulnerata fugit, et vulnerans, eam persequitur, certus quod ipse sit rapturus, tunc spectat ad ipsum, licet alius eam occupaverit; secus, est occupantis; quia ad acquirendum dominium faerae, non sufficit sola vulneratio, sed requiritur apprehensio, facta vel manibus, vel instrumentis (2).

Q. *Cujus est fera, vel avis, vel piscis etc. si inciderit in laqueos, vel retias ab alio paratas?*

R. Si faera etc. ita est in laqueo, vel in rete capta, ut non possit amplius fugere, tunc est illius, qui laqueum, vel rete paravit. Si vero poterit fugere, et in suam libertatem ponere, tunc est occupantis. Quod si quis insequens animal vagum, illud in laqueum incidit ab alio paratum, tunc uterque habet jus illud capiendi; unus quia laqueum paravit; alter, quia sua industria, et cooperatione, animal in loqueum incidit.

Q. *Est ne licitum venari, aut piscari in fundo alieno?*

R. Si fundum est clausum, et bene circumseptum, eo animo ut nullus, sine permissione, illum ingrediatur, et tunc non est licitum, quia faerae sunt sub dominio possessoris; vel est apertum, et dominus

---

(1) Ex eod. Leg. 2. *Instit. tit.* 1. §. *Pavonum etc.*

(2) Uti ex L. 5. §. 1. ff. *de acquir. dom. rer.*

fundi est irrationabiliter invitus, et tunc potest; secus non (1).

Q. *Est ne licita venatio?*

R. Jure naturae est licita; sed Jure Civili standum est Legibus cujusque Regni (2).

Q. *Est ne permissa Clericis venatio?*

R. Vel loquimur de venatione clamorosa, quae nempe fit cum strepitu armorum, et canum, et non est ipsis permissa (3). Vel loquimur de venatione non clamorosa, et quae fit simplicis recreationis causa, et est permissa, juxta Leges.

Q. *Ad quid tenentur, qui caedunt ligna, vel pascunt armenta in locis ad publicum spectantibus, in quibus est prohibitum?*

R. Si isti sunt oppidani, et non inferunt grave damnum bono publico, non peccant, neque ad restitutionem tenentur, sed tantum ad solvendam poenam impositam; autem post Judicis sententiam. Secus, peccant.

Q. *Quid dicendum, si Communitas locaverit, vel vendiderit sylvam alicui privato?*

R. Tunc peccare dicendum est, atque ad restitutionem teneri, quia sylvae dominium translatum est ad personam privatam. Ad summum tamen poterit esse licitum pauperibus colligere minuta ligna inuti-

---

(1) Potest namque dominus prohibere, ne quis proprium fundum ingrediatur, et venetur, maxime si adsint justae causae prohibendi; ne scilicet inferantur damna agris, vel vineis, vel periculum sit extinguendi animalium sobolem. In quo casu, qui prohibitionem violaret, ad damna secuta teneretur.

(2) Per noviss. Cod. Regni Utriusque Siciliae L. III. art. 365. « La facoltà della caccia, e della pesca » è determinata dalle leggi particolari.

(3) Ex *Cap.* 1. *de Cleric. venat.*

lia, humi projecta ad proprii foci usum. In tali enim casu, dominus non censetur rationabiliter invitus.

Q. *Quaenam sunt bona derelicta, et cujus sunt?*

R. Bona derelicta sunt illa, quae dominus, eo animo abjecit, ut ea in numero rerum suarum amplius esse nolit (1); unde sunt primi occupantis (2).

Q. *Cui restituenda sunt bona, quae tempore naufragii, vel sevae tempestatis, ad levandam navem projiciuntur in mare?*

R. Quoties accidit recuperari, propriis dominis restituenda sunt, quia necessitate, non voluntate fuerunt vel naufragio absorpta, vel in mare projecta; unde clamant ad proprios dominos, qui cupiunt eas, quoad fieri potest, inter res suas habere (3).

Q. *Si quis eripit bona, quae certo peritura erant apud dominium, incendio nempe, naufragio, aut alio periculo, potest ea pro se retinere?*

Rt Negative; sed ea domino proprio restituere debet; et solum repetere potest pretium pro labore, et periculo, in ea eripienda impenso (4), ad quod tenetur dominus.

---

(1) Ex L. Inst. §. 46.

(2) Nam statim ac dominus ea abjecit, cessavit ejus dominium in eis, et evaserunt nullius; quare primo occupanti debentur.

(3) *Hinc crudelitatis genus est*, inquit ad rem Cassiodorus Lib. IV. variar. Epist. 7. *ultra naufragium velle saevire, et illos ad dispendia cogere, quibus inopem vitam probantur immania elementa dedisse.* Quapropter qui piscantur bona naufragantium, aut ea in littore maris projecta inveniunt, debent illa proprio domino restituere, alias peccant; et si talia bona sunt Christianorum, incidunt in excommunicationem. Vid. Ferraris loco cit. n. 24. 25.

(4) Ita ex L. *Pomponius* 44. ff. de acquir. domin. rerum.

Q. *Cujusnam sunt bona vacantia*?

R. Bona vacantia dicuntur illa, quae quis moriens intestatus reliquit nec secundum Leges habet haeredes, quibus spectare possint. Bona ista quidam dicunt applicata remanere Fisco (1); Alii debere per Episcopum in piis operibus erogari (2); Sed juxta novissimum Codicem Regni utriusque Siciliae, pertinent ad Demanium publicum (3).

Q. *Quid est Thesaurus, et ad quem spectat*?

R. Thesaurus, hic, est vetus, et occulta depositio pecuniae, vel alterius rei similis, cujus non extat memoria, et de qua dominium nemo habet. Jure naturae thesaurus est inventoris; bona enim, quae nullius sunt, ad primum occupantem pertinent. Jure Civili Romano, si thesaurus invenitur fortuito in alieno loco, et tunc dimidium est inventoris, et dimidium domini fundi; Si vero data opera, et totus domini fundi est, et inventor potest etiam puniri. Si invenitur in loco publico, vel Sacro, dimidium est Fisci, vel Praelati, et dimidium est inventoris. De jure vero novissimo Regni Neapolis, quidquid sit de antiqua consuetudine, hodie si inventus est in proprio fundo, pertinet ad inventorem; si vero in fundo alieno, medietas spectat ad illum, qui invenit, et medietas ad dominum fundi (4).

---

(1) Ita ex L. *Vacantia*, *C. de Bonis vacant.*

(2) In Authen. *Omnes Peregrini C. Com.*

(3) Parte I. n. 464. cujus haec sunt verba. » » Tutti i beni vacanti, e senza padrone, e quelli » delle persone, che muojono senza eredi, e le di cui » eredità sono abbandonate, appartengono al demanio » pubblico ».

(4) En verba P. I. Lib. III. n. 636. « La pro- » prietà di un tesoro appartiene a colui che lo trova » nel proprio fondo; se poi il tesoro e trovato nel fondo

Q. *Cujus sunt bona ab uno deperdita, et ab alio inventa?*

R. Si verus dominus non ignoratur, illi restituenda sunt (1); si vero ignoratur, adhibenda est diligentia major, vel minor pro qualitate, et valore rei inventae, etiam procurando (si forent magni valoris, vel momenti), ut a Suggestis denuncietur, vel publicis libellis manifestetur; et si invenitur dominus, illi restituenda sunt; detractis tamen expensis, si quae pro inquisitione facta fuerint; si vero non invenitur, tunc elapso alio aliquo sufficienti tempore, docent multi, dicta bona esset inventoris (2). Alii dicunt, valde bonum esse, illa in usus pios convertere, juxta statutum in Concilio Mediolanense IV., aut in pauperum sustentationem, ut statuit Catechismus Romanus (3). Quod si bona inventa sunt sacra, Ecclesiae restitui debent.

» altrui, appartiene per metà a colui, che l' ha scoper-
» to, e per l' altra metà al proprietario del fondo ».
Quae de thesauris de Jure communi, ulterius hic addi possent, legi poterunt fusius apud Auctores, praesertim Luc. Ferr. loco cit. n. 26. et seq. usque ad n. 46.

(1) Ita ex C. *Si quis 6. causa 14. q.* 5. ubi ex verbis D. Augustini ita dicitur: *Si quid invenisti, et non reddidisti, rapuisti.*

(2) Vid. Ferraris loco cit. n. 21.

(3) P. III. C. 8. n. 17. hic verbis: *Si rerum inventarum dominus nulla ratione inveniri potest, illa sunt bona in usus pauperum conferenda.*

CAPUT IV.

De quibusdam aliis modis adquirendi dominium.

Q. *Quibus aliis modis adquiri potest dominium rerum?*

R. Hisce sequentibus modis; nempe vi alluvionis, Accessionis, Specificationis, Commixtionis, Confusionis, Inaedificationis, Implantationis, Nativitatis, Scriptionis.

Q. *Quomodo acquiritur dominium vi alluvionis?*

R. Alluvio duplex est, alia nempe *latens*, et alia *patens*. Alluvio latens est illa, qua pars fundi unius, paulatim, et insensibiliter, et ita latenter, ut vix notari queat, fundo alterius adjungitur. Patens vero est illa, qua pars aliqua notabilis fundi unius, vi fluminis in alterius fundum patenter transfertur. Vi alluvionis latentis acquirit dominium ille, cui fundo fit adjunctio. Vi autem alluvionis patentis remanet dominium illi, cujus erat pars adjuncta (1).

Q. *Quid sibi vult acquirere dominium per eccessionem?*

R. Cum accessio, hic dicatur, quando res unius accedit, vel adiungitur rebus alterius per humanam industriam, vel laborem; quando res unius accedit, seu conjungitur rei alterius, tunc, totum ex utraque re compositum, jure accessionis, spectat ad dominum rei praesuppositae, et principalis. Quare ei annulo adjungatur gemma, si vesti intexatur purpura, gemma et purpura spectabunt ad dominum illius, cujus

(1) Atque haec de jure communi, ex C. Propterea quod per alluvionem Inst. de rer. divis. De Jure vero Municipali consul. Codex noviss. P. 1. art. 481., et seq. *Del dritto di accessione.*

erat annulus, et vestis, quamvis illa adjecta, essent pretiosiora (1). Dominus vero gemmae, vel purpurae habet jus ad valorem illius, qui ei solvi debet.

Q. *Quando acquiritur rei alicujus dominium per specificationem?*

R. Quando quis in eam, ita novam speciem inducit, ut nequeat amplius in pristinum statum reduci. Hinc qui ex lana alterius conficit vestem; vel ex alienis uvis vinum, acquirit dominum vestis, aut vini: Dominus autem lanae, vel uvarum habet actionem pro valore suae materiae, idest lanae, vel uvarum (2).

Q. *Quomodo acquiritur dominium vi Confusionis?*

R. Confusio est, quando res unius, rei alterius ita conjungitur, ut pars unius non possit discerni a parte alterius; veluti cum vinum unius confunditur cum vino alterius. Quando itaque duorum dominorum materia, utriusque consensu, vel utroque inscio, aut casu confusae sunt, totum corpus, aut compositum ex ipsis, est dividendum pro rata (3). Si vero uno solo volente, altero nolente, aut nesciente, materia utriusque confusa sit, dominium totius conflati, erit illius, qui posuit operam, et majorem partem materiae, quia major pars trahit ad se minorem (4); Remanet tamen obligatio reddendi extimationem pretii materiae illius.

---

(1) Hoc autem de jure communi, et patet ex regula 42. Juris in 6. *Accessorium, naturam sequi congruit principalis*. de Jure vero nostro municipali, standum est Cod. nov. loco cit. Sezione II. art. 470. et seq.

(2) Cons. L. Ferraris loco cit. n. 63. et seq.

(3) *Inst. de rer. divis*. §. *si duorum*.

(4) L. 23. §. 4. ff. de rer. divis.

Q. *Quomodo acquiritur dominium per commixtionem?*

R. Si res unius miscetur cum re alterius, de communi consensu; ex. gr. triticum cum tritico alterius, acervus tritici fit communis; si vero absque communi consensu, et res discerni potest, datur actio in rem ipsam.

Q. *Est ne differentia inter commixtionem, et confusionem?*

R. Affirmative. Nam commixtio proprie dicitur de rebus aridis; uti de nummis, de frumento, etc. Confusio vero dicitur de corporibus liquidis, et liquefactis; uti de vino cum vino, de oleo cum oleo, de auro cum auro, de argento cum argento, etc.

Q. *Quid dicendum de illo, qui miscet suam pecuniam cum pecunia alterius?*

R. Ex jure communi (1), si hoc facit animo habendi dominium totius, modo pecunia mixta discerni non possit, revera fit dominus totius, etiam altero invito, vel inscio; tenetur tamen reddere alteri pecuniam aequivalentem. Atque hoc idem, juxta multos, dicendum est de mixtione aliarum rerum; veluti frumenti, et aliarum leguminum.

Q. *Quomodo acquiritur dominium vi inaedificationis?*

R. Hoc modo; Si quis erigit aedificium in alieno fundo, dominium talis aedificii est domini fundi; qui, si alter bona fide aedificavit, tenetur solvere pretium materialium, et operum; si vero mala fide, non tenetur. Item qui aedificavit in fundo proprio de materialibus alterius, fit quidem dominus aedificii; sed tenetur reddere duplum pretii illius materiae. Si vero quis ex materialibus Caji aedificat in fundo Titii,

---

(1) L. si alieni *ff. de solut.*

aedificium cedit Titio; Cajus vero potest repetere materialium suorum valorem, vel vindicare, si aedificium diruatur.

Q. *Quomodo adquiritur dominium vi implantationis?*

R. Si quis arborem in solo alieno plantat, statim ac illa radices agit, cedit domino fundi: et idipsum dicendum de seminibus (1). Si quis vero arborem evelleret de alieno fuudo, et in suum plantaret, tenetur ad damna. Si arbor posita est in confinio, ad illum spectat, in cujus fundo agit radices (2); si vero radices agit in fundo utriusque, fit communis. Item planta in alieno solo posita cedit solo, si egerit radices; secus poterit a Domino vindicari.

Q. *Ad quem spectant fructus arborum confinium?*

R. Ad eos spectant, qui illorum ramos in proprios fundos propendentes patiuntur.

Q. *Quomodo acquiritur dominium vi nativitatis?*

R. Quae ex nostris animalibus nascuntur, nostra suut (3). Quae nascuntur ex mancipiis, Domini sunt; sicuti etiam matris sunt liberi: qui nascuntur extra Matrimonium (4).

Q. *Quomodo acquiritur dominium vi scriptionis?*

R. Si quis in aliena charta, vel membrana scriberet, jure antiquo non fiebat dominus scripturae, sed illius dominium ad proprietarium chartae spe-

---

(1) Jnstit. §. 31. *Nam quidquid solo implantatur, vel inseritur, solo cedit.*

(2) Ibid. §. 36. tit. arboris dominium.

(5) L. 5. ff. de rei vindic.

(4) L. 24. ff. de statu hominis.

ctaret (1): Verum hodie quia charta, et membrana in vili sunt pretio, contrarium, est, usu receptum.

CAPUT V.

De modo acquirendi dominium Praescriptione; ubi de Usu, Usufructu, Habitatione, Servitutibus, et Possessione.

Q. *Quid est Praescriptio?*

R. *Est acquisitio, seu adjectio dominii rei alienae, vel alicujus juris peremptio, per continuationem possessionis, tempore, et modo a Legibus definito.*

Q. *Quibus de causis fuit a jure Civili introducta, et a Jure Canonico approbata Praescriptio?*

R. Hisce quatuor praesertim de causis; nempe 1. ob bonum publicum, ne rerum dominia diu, et fere semper essent incerta (2); 2. Ut praeciderentur innumerabiles, et perpetuae lites, quae caeteroquin oriri possent (3); 3. Ne rerum possesssores prope immortali timore teneantur (4). Ut hoc modo segnities ac desidia hominum, qui res suas, ac jura in judicio persequi negligunt, evacuetur, dum ea punitur ademptione dominii (5).

---

(1) §. Literae 33. Inst. de rer. divisione, ubi sic: *Litterae, licet aureae sint, perinde chartis membranisque ac solo cedere solent ea, quae inaedificantur, aut inseruntur.*

(2) Ita expresse in L. Bono publico 1., ff. de *usucapionibus*.

(3) In L. usucapio 5. ff. *Pro suo.*

(4) Uti in L. Cum *novissimi 7. in princ. Cod. de Praescrip. 30. vel 40. annor.*

(5) Iuxta *L. Ut perfectius 2. de annali exceptione.*

Q. *Praescriptio est ne valida, et licita etiam in foro interno?*

R. Maxime, adeo ut qui aliquam rem legitime praescripsit, etiamsi postea appareat verus illius dominus, non tenetur illam restituere (1).

Q. *Quaenam conditiones requiruntur ut praescriptio sit legitima?*

R. Quinque sequentes requiruntur conditiones; nempe 1. *Titulus;* 2. *Bona fides;* 3. *continuata possessio*; 4. *Ut res sit apta praescribi*; et 5. *Tempus a Lege statutum* (2).

Q. *Quid per titulum hic intelligitur?*

R. Intelligitur causa ad transferendum dominium apta; hoc est, quod qui rem possidet, ut praescribere illam possit, habeat illam sive emptione, quae dicitur titulus onerosus; vel legato, haereditate donatione, quae dicitur titulus gratuitus; nec requiritur quod titulus hujusmodi sit verus, sed sufficit etiam si fuerit coloratus, vel praesumptus.

Q. *Quid intelligitur pro bona fide?*

R. Intelligitur quod praescribens, non sit injustus possessor, aut latro; neque sit dubiae fidei, sed rem possideat illesa conscientia, certo putans esse suam (3).

---

(1). Vid. P. Ferraris V. Praesciptio n. 9.

(2) Atque haec conditiones his versibus comprehenduntur.

Non usucapies, nisi sint tibi talia quinque.
Si res apta, fides bona, sit titulus quoque justus.
Possideas juste, completo tempore legis.

(3) Nam *Bona fides intelligitur* (uti expresse dicit Glossa Cap. *Si diligenter* 17. *de Praescrip. verbo Bona fides*) *cum aliquis credit tradentem esse dominum; vel habere Jus distrahendi, licet erret in facto.* Atque si talis bona fides in possessione rei, deficit, *pos-*

Q. *Quid dicendum si quis bona fide aliquid possidet, quod habuit a possessore malae fidei?*

R. Si obtinuit titulo haereditatis, et tunc non potest praescribere, quia haeres, fictione juris, est eadem persona cum defuncto, et eorum possessio, una, eademque est possessio (1). Si vero alio titulo illam habuit, puta emptione, donatione, legato etc., potest praescribere, etiam tempore ordinario.

Q. *Quid dicendum si haeres fuerit mediatus?*

R. Si haeres sit mediatus, hoc est, rem titulo haereditatis obtinuit ab haerede immediato, illumque bona fide possedit per spatium temporis a Lege praescriptum, et tunc potest praescribere; secus, non (2).

Q. *Si quis dubitat num res sit sua nec ne, potest illam praescribere?*

R. Si cum dubio incepit rem possidere, non potest eam praescribere, quia deest bona fides; si vero post acceptam, bona fide, rei possessionem, supervenit dubium, tunc potest eam praescribere (3); adhi-

---

sessor ullo tempore non praescribit; uti expresse habetur in Concil. Lateranensi IV. Cap. *Vigilanti* 5. et Cap. Quoniam 20. de *Praescriptionibus*, his verbis: *Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, Synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide praescriptio, tam Canonica, quam Civilis.*

(1) Uti ex L. un. de Div. temp. praescr., in quo legitur: *Cum haeres in jus omne defuncti succedit, ignoratione sua defuncti vitia non excludit.*

(2) Vid. P. L. Ferraris V. Praescriptio §. 2. num. 12.

(3) Nam ex Reg. 25. *Juris in* 6. *In pari causa melior est conditio possidentis.* Videatur tamen Cuniliati Lib. II. de just. et jure Diss. 1. can. 14. n. 23 q. 3.

bita tamen debita diligentia, ut videat an res sit sua, vel aliena (1).

Q. *Quid sibi vult, possessionem debere esse continuatam, ut quis possit praescribere?*

R. His verbis vult intelligi, possessorem rei alienae, ut illam praescribat, semper, et absque interruptione, rem illam, bona fide, debere, uti suam, habere (2).

Q. *Quotupliciter potest interrumpi praescriptio?*

R. Duplici modo; nempe *naturaliter*, et *civiliter*. Interrumpitur naturaliter quando deficit aliquid ex iis, quae requiruntur ad praescriptionem; veluti si superveniat mala fides, sive notitia certa, quod res sit aliena. Interrumpitur civiliter per actum juridicum; nempe per contestationem litis, vel per oblationem libelli, ac citationem rei.

Q. *Ignorantia juris, vel facti, tollit ne bonam fidem ad praescribendum requisitam?*

R. Vel est ignorantia juris clari, et indubitati, et tunc tollit bonam fidem. Vel est ignorantia juris invincibilis; et secundum aliquos, in foro conscientiae, non tollit bonam fidem. Vel est juris dubii, et nec etiam tollit. Vel tandem est ignorantia facti, invincibilis, et non tollit; secus tollit (3).

Q. *Quaenam res praescribi non possunt?*

R. Jure communi, et absolute loquendo sunt

---

(1) Ita textu expresso in C. *Si virgo* 5. caus. 34 q. 1. ubi dicitur: *Tamdiu quisque bonae fidei possessor rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum.*

(2) Ita in C. *Quoniam* 20. de *Praescriptionibus*, his verbis: *Unde oportet, ut qui praescribit, in nulla temporis parte, rei habeat conscientiam alienae.*

(3) Consul. P. Luc. Ferraris n. 17. et seq.

quae sequuntur; nempe 1. Homo liber, ut fiat servus; 2. Res sacrae, et religiosae, uti Templa, Coemeteria; 3. Res publicis usibus deputatae, ut pontes, viae publicae; 4. Exemptio subditi a superioris obedientia, visitatione etc., quamdiu manet subditus; et 5. Res pupilli.

Q. *Quodnam temporis spatium ad praescribendum requiritur?*

R. Si res praescribendae sunt mobiles, uti animalia, vestes etc., aut quae ad mobiles reducuntur, uti debita, actiones etc., et requiritur spatium trium annorum. Vel sunt immobiles, ut ager, domus, aut quae ad ista reducuntur, uti Servitutes, Census, Ius patronatus etc. et inter praesentes, hoc est intra eamdem Provinciam, requiritur spatium decem annorum; inter abentes, scilicet extra eamdem Provinciam, spatium viginti annorum. Ad praecribendas vero res partim inter absentes, et partim inter praesentes, requiritur, ut multiplicetur tempus absentiae; Ex. Gr. Titius Neapolitanus sex annis moratus fuit Neapoli, et quatuor annis Romae; hi quatuor anni duplicandi sunt; et inde sexdecim anni requiruntur ad praescriptionem.

Q. *Quodnam temporis spatium requiritur ad praescribendum contra Ecclesiam?*

R. Vel sermo est de rebus mobilibus, et requiritur idem tempus, quod requiritur ad res privatorum praescribendas, ut antea dictum est. Vel de rebus immobilibus, et tunc ad praescribendum contra Ecclesiam particularem, vel Monasterium, Hospitale, etc. requiritur spatium quadraginta annorum (1); contra Benedictionorum Ecclesiam sexaginta, et contra Ecclesiam Romanam, centum.

---

(1) *Ex* Aut. *Quas actiones* Cap. de Sac. Eccl.

Q. *Quid dicendum de bonis, quae Civitates possident?*

R. Vel ea possident titulo emptionis, donationis, haereditatis, et ut possint praescribi, spatium requiritur centum annorum; vel ea possident aliis titulis, et spatium requiritur quadraginta annorum (1).

Q. *Quid est usus.*

R. Usus est jus utendi re aliena, salva ejus substantia. Dicitur *jus utendi*, scilicet usus juris, non facti, qui juris est exequutio, sive actualis usus legitimus; cujusmodi est jus quod habent Religiosi utendi vestibus, et aliis rebus sibi concessis. Dicitur *re aliena*; nam si esset propria, de ea non usum, sed dominium haberetur. Dicitur *salva ejus substantia*; quia qui habet solum rei usum, non potest eam neque consumere, neque alienare, sed integram debet domino proprio servare.

Q. *Quid ergo potest usuarius circa rem, cujus habet usum?*

R. Potest uti rei ad suos usus, prout cum illius domino convenit (2).

---

(1) Quae hic de Praescriptione exposuimus, intelligi debent juxta Jus Civile commune, et Ecclesiasticum. Pro Regno vero Neapolis, et Siciliae attendenda sunt nova statuta in Codice novissimo praescripta P. I. Tit. XXI. Quatuor Sectionibus comprehensa.

(2) Quaprópter qui ad usum habuit equm ex. g. ad vehendum, vel arandum, vel ad iter agendum in aliquo designato loco, non potest eo uti ad libitum, vel aliis locare, aut in usum tradere. Similiter qui habet usum fundi, potest uti oleribus, pomis, faeno, lignis ad quotidianum suae familiae usum; at non potest hoc ipsum jus aliis donare, aut vendere; neque his rebus uti ad quaestum, aut lucrum.

Q. *Quid est ususfructus?*

R. Ususfructus est jus utendi, atque fruendi re aliena, salva ejus substantia; Hoc est jus non solum utendi re aliena, sed etiam percipiendi omnem fructum.

Q. *Quid potest usufructuarius circa rem, cujus habet usumfructum?*

R. Potest percipere omnem fructum, et utilitatem rei, salva proprietate (1).

Q. *Quaenam sunt usufructuarii obligationes?*

R. Sunt sequentes; nempe 1. Tenetur uti re, sicut bonus Paterfamilias utitur re sua (2); 2. Si habet usumfructum gregis, tenetur in locum demortuorum, aut inutilium alia, e foetu substituere in favorem Proprietarii (3); 3. tenetur ad conservationem, et refectionem rei, ut integra, et non in aliam formam

---

(1) Hinc de arboribus fructiferis, quae sunt in fundo, fructus percipere; et si sint demortuae, ipsis frui, substituendo tamen loco ipsarum alias novas; quod si a ventibus sunt avulsae, non potest, quia sunt proprietarii. Ex Codice autem noviss. Art. 519. sunt usufructuarii cum onere subrogandi alias. Similiter in sylvis caeduis potest se gerere uti Paterfamilias, caedendo quotannis certam portionem, ex arboribus inutilibus. Tandem potest, etiam sine consensu Proprietarii, utilitatem suo nomine percipiendam vendere; licet non possit sine illius consensu vendere jus, quia ipse semper manet usufructuarius, et morte ipsius, non alterius, finitur usufructus.

(2) Hinc non potest re uti ad usus indignos, aut ad detrimentum, alias tenetur de damnis, etiam in conscientia.

(3) *Inst. lib.* 2. *hoc* sit. Atque idipsum est dicendum de arboribus, Sylvis, Vineis etc. *Inst. de Rer. Divis.* §. *38.*

mutata permaneat; sicut etiam ad onera, et tributa, quae rei imponuntur.

Q. *Quot modis constituitur ususfructus, et quot finitur*?

R. Ususfructus duobus modis contituitur; nempe 1. Legis dispositionibus (1); 2. privata dispositione; uti testamento, donatione; finitur vero vel morte usufructuarii; vel non usu rerum decem annorum, inter praesentes, et viginti inter absentes; vel tandem cessione proprietario facta.

Q. *Quid dicendum si ususfructus concessus sit Ecclesiae, vel aliquo loco Pio, vel Communitati, quae non moriuntur?*

R. De jure communi durat centum annis.

Q. *Quid est habitatio?*

R. Est jus aliquas aedes inhabitandi, salva earum, substantia.

Q. *Differt ne habitatio a simplici usu aedium*?

R. Maxime. Nam simplex aedium usuarius, potest quidem eas cum suis incolere, sed aliis locare non potest; Qui vero habet aedium habitationem, potest, non solum eas cum suis incolere, sed etiam aliis locare, et omnem usumfructum percipere ex partibus aedium habitationi destinatis.

Q. *Quid est servitus?*

R. Servitus, hic, dupliciter sumi potest; *active* nempe, et *passive*. Active accepta, est jus, quod quis habet in re aliena; ut sibi, vel rei suae serviat; hoc est in ea aliquid fiat, vel non fiat in suum com-

---

(1) Hujusmodi est ususfructus, quem habet Pater in bona adventitia sui filii nondum emancipati; 2. privata dispositione per Testamentum, donationem, pactionem, stipulationem etc. Pro Regno Neapolis standum est, quoad hanc materiam de usu, et usufructu Codici noviss. P. 1. Tit. III. Cap. I. Sez. 1. et seq.

modum (1). Accepta vero passive, est ipsa rei subjectio, seu obligatio in commodum alterius (2).

Q. *Quotuplex est servitus?*

R. Servitus alia est *personalis*, alia *realis*. Personalis est illa, quae immediate debetur personae (3); Realis vero est illa, quae immediate debetur rei (4).

Q. *Quotuplex distinguitur servitus realis?*

R. Duplex; nempe alia *Urbana*, et alia *Rustica;* servitus urbana est illa, quae debetur praedio urbano (5); Rustica vero, quae rustico (6). Hinc servitutes urbanae sunt, admittere tignum vicini in parietem tuum, stillicidium in tuas aedes recipere, murum altius non attollere, etc.

---

(1) Nam servitutes non sunt tantum affirmativae, sed etiam negativae, scilicet ne aperiatur fenestra, quae habeat prospectum in domum, vel agrum; nec fiat murus altius, ut sit impedimento etc.

(2) Hinc si Cajus habet jus transeundi per agrum Sempronii, agendi vehiculum, ferendi aquam etc., Caius habere dicitur servitutem activam in agro Sempronii; et ager Sempronii habere servitutem passivam, quia servit in commodum Cajo.

(3) Cujusmodi est Ususfructus, Feudum, Emphyteusis etc., quae expirat cum persona, cui est affixa.

(4) Veluti si ager tuus serviat agro meo, aedes tuae aedibus meis.

(5) Omni nempe aedificio ad habitandum constructo sive in Urbe, sive in Villa, cui adnexus est hortus.

(6) Hoc est agro, vinea, prato etc. sive in Urbe, sive extra. Item stabulo, horreo, et hujusmodi; dummodo hominum habitationi non inserviant, et sint ab aedibus sejuncta. Hujusmodi autem servitutes, aliae dicuntur *Nominatae*, aliae *Innominatae*; nominatae sunt *iter*, quo quis potest pedibus, vel equo commeare; *Actus*, quo jumentum, vehiculum, et armenta duci

Q. *Quot modis comparantur servitutes, et quot finiuntur?*

R. Jure communi, tribus modis comparantur; nempe, *Pacto*; *ultima*, *voluntate* et *Usucapione* decem annorum inter praesentes; viginti vero inter absentes. Finiuntur vero sequentibus quinque modis; scilicet 1. *Pactis et stipulationibus;* 2. *Praescriptione*, non utendo per decem annos inter praesentes, et viginti inter absentes; 3. *Remissione*; 4. *Consolidatione*; et 5. *Interitu rei* (1).

Q. *Quid est Possessio, et quotuplex?*

R. Possessio duplex est; *juris* nempe, et *facti.* Possessio juris *est Jus insistendi rei tamquam suae*; *Possessio vero facti est detentio rei corporalis, corporis, animi, jurisque adminiculo.*

Q. *Ad facti possessionem sufficit ne quaecumque actualis rei detentio?*

R. Non sufficit, sed illa, quae habet sequentes conditiones; nempe 1. Ut res sit apprehensa actu aliquo corporali, hoc est manibus, pedibus etc.; 2. ut hoc fiat animo possidendi rem tamquam suam, 3. ut Jus faveat possessioni, hoc est non impediat, vel prohibeat possessionem.

Q. *Quotuplex est possessio facti?*

R. Est triplex; scilicet 1. *Naturalis*; 2. *Civi-*

---

possunt per praedium alterius; *Via*, quae continet in se iter, et actum; Aquaeductus, quo ducitur aqua per fundum alterius, sive canalibus, sive rivo. Servitutes innominatae, sunt jus hauriendi aquam ex alterius puteo, vel fonte; adaquandi pecora, pascendi, etc. calcis coquendae, sumendi lapides, arenam, cretam ex fundo alieno.

(1) Pro Regno autem utriusque Siciliae, standum est decisionibus in Codice novissimo praescriptis P. I. Tit. 4. C. 1.

lis; et 3. *Civilissima.* Naturalis est illa, qua, res animo et corpore detinetur. Civilis est illa, qua res animo, et corpore apprehensa, solo animo retinetur. Civilissima est illa, quae sola Legis dispositione acquiritur, absque omni corporis, et animi adminiculo, etiam ab inscio. Ita haeres parvulus possidet haereditatem defuncti sine ullo apprehensionis actu, et cognitione.

Q. *Quoenam commoda affert possessio?*

R. Affert commoda, quae sequuntur; scilicet 1. Possessio bonae fidei parit praescriptionem; 2. Si insurgat dubitatio super jus, seu dominium, possessio facit conditionem meliorem possidentis; 3. In Judicio, ordinario parit praesumptionem dominii, hoc est possessorem esse verum rei, quam possidet, dominum; ita ut si actor nihil probet contra possessorem, aut res maneat in aeque obscuro, adjudicabitur ipsi. 4. Confert jus administrationis; adeo ut si quis possidens Jus patronatum, aliquem praesentat ad beneficium, praesentatio est valida, quamvis postea ipsi constet, vere non fuisse patronum; 5. Permissum est Possessori in utroque Foro a Jure Civili, et Canonico, tueri etiam armis, suam possessionem contra invasorem, servato tamen moderamine inculpatae tutelae (1).

Atque haec quidem dicta intelligi debent juxta Jus commune, caeterum standum est peculiaribus Legibus cujusque Regni, vel Imperii.

---

(1) In foro tamen conscientiae talis defensio licita non esset, si praevideretur, ex ea majus damnum, quod sequi posset.

TRACTATUS IX.

De Contractibus.

Materiam aggredimur pertractandam, in qua summa cautione, et adcurata diligentia incedendum est, ne erretur, et aliis occasio praebeatur, justitiam commutativam laedendi, cum detrimento bonorum animi et corporis, sive propriis, sive aliorum, cum Societatis perturbatione, et vitiorum incremento. « Di-
» sputatio de Contractibus universe spectatis (1), non
» adeo impedita est, ut magnum facessat negotium.
» Verum cum eosdem ad praxim, hominumque So-
» cietates, et commercia redactos, dispiciendos ag-
» gredimur, aqua haeret, undique difficultates, et
» quidem gravissimae, ac scopuli non infrequentes
» occurrunt, a quibus declinare vix concessum est »
Quod si hoc, universim de Contractibus, qui ubique celebrantur, verum est, multo magis in hoc Regno, in quo per novissimum Codicem Civilem, multa de Contractibus, sive in genere, sive in specie distant a communi Iure. Deo nihilominus dante, majori qua possumus claritate, et brevitate, quae Tironi Confessario de Contractibus, scitu necessaria sunt, exponere, atque explicare, in praesenti Tractatu curabimus.

---

(1) Verba sunt P. Concina Tomo X. Theol. mor. de Contract. Anteloq.

CAPUT I.

De Natura Contractus.

Q. *Quid est contractus?*

R. Contractus est conventio, qua duo, vel plures, mutuo se obligant ad aliquid dandum, vel faciendum (1).

Q. *Est ne discrimen inter simplex pactum, et contractum?*

R. Jure Romano adest; jure vero noviss. Neap. non adest, sed pro eodem usurpantur.

Q. *Quotuplex est contractus?*

R. Multiplex est; et 1. alius dicitur *formalis*, seu *expressus*; et alius *virtualis*; 2. alius *unilateralis*, et alius *Sinallagmaticus*; 3. alius *beneficus* sive *gratuitus*, et alius *onerosus*; 4. alius *Commutativus*; et alius *aleatorius*; seu *sortis*; 5. alius *absolutus*; et alius *conditionatus*; 6. tandem alius *purus*, alius *non purus*.

Q. *Explica sigillatim has species contractus?*

R. Contractus formalis est ille, in quo duo, vel plures expresse conveniunt de aliqua re, cum obligatione mutua, vel saltem unius erga alterum.

Contractus vero virtualis, seu implicitus est ille, quo suscipitur obligatio ex facto aliquo licito; puta aditione haereditatis, acceptione alicujus officii, absque ullo pacto expresso (2).

---

(1) Per obligationem hic intelligitur vinculum juris, quo necessitate adstringimur, ad aliquid dandum, faciendum, vel omittendum.

(2) Cod. noviss. P. I. n. 1325. Atque talis contractus, merito *quasi contractus* dicitur; quia in eo obligatio oritur ex quasi contractu; hoc est perinde ac si mutuus consensus praecesserit.

Contractus unilateralis est quando una pars contrahentium remanet obligata, altera vero non. Sinallagmaticus, sive Bilateralis vero, quando utraque pars obligatur.

Contractus beneficus, sive gratuitus est ille, in quo una pars procurat alteri commodum mere gratuitum. Onerosus vero est ille, qui obligat utramque partem ad aliquid faciendum, vel dandum.

Contractus commutativus dicitur quando quaelibet pars obligatur ad aliquid faciendum, vel dandum, quod respicitur veluti aequivalens ejus, quod ei datur, vel fit pro ea. Aleatorius vero est quando aequivalens consistit in sorte tam ex una parte, quam ex alia; et lucrum, vel damnum pendet ab incerto eventu (1).

Contractus absolutus est ille, ex quo oritur obligatio a principio; conditionatus vero, quando nascitur obligatio, verificata conditione.

Contractus purus dicitur ille, cui nulla adjecta est circumstantia, quae obligationem coarctet; impurus vero est ille, cui adjecta est circumstantia aliqua, quae obligationem limitat.

Q. *Quot sunt species contractus commutativi?*

R. Sunt quatuor; nempe *do, ut des: do ut facias: facio ut des: facio ut facias.*

Q, *Dantur ne aliae species contractus?*

R. Juxta veteres, dantur, et sunt contractus stricti juris, et bonae fidei; Item contractus nudi, et vestiti. Contractus stricti juris sunt illi, in quibus Iudex stare omnino debet verbis contrahentium; ut sunt Census, Emphyteusis; contractus vero bonae fidei sunt illi, in quibus Judex potestatem habet ar-

---

(1) Cod. laud. n. 1058.

bitrandi (1). Contractus nudi dicuntur illi, qui carent firmamento Legis Civilis, uti Scriptura, vel Testibus; vestiti vero, qui talem habent firmamentum.

CAPUT II.

De conditionibus ad valorem contractus requisitis.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur ad validitatem contractus?*

R. Quatuor; scilicet 1. *Consensus* (2); 2. *Habilitas contrahentium*; 3. *Capacitas rei contractui subjectae*; et 4. *forma substantialis*, si qua sit a jure praescripta (3).

Q. *Qualis debet esse consensus ut contractus sit validus?*

R. Debet esse internus, verus, omnino liber, et plene deliberatus; mutuus, et signo aliquo sensibili expressus.

Q. *Ad quid tenetur, qui non apposuit consensum internum in contractu?*

Q. Vi contractus ad nihil tenetur, quia contractus est nullus; vi autem injuriae alteri illatae per deceptionem, tenetur consensum ponere, et contractum implere.

Q. *Quotupliciter potest impediri consensus?*

R. Dupliciter; ex parte nempe intellectus, et ex

---

(1) Ex Cod. Noviss. n. 1089. Omnes contractus sunt bonae fidei.

(2) Nam, uti habetur in §. *fin. Instit. de obligatione*: *dixit Pedius, nullum esse pactum, nullam obligationem, quae non habeat in se consensionem, nam et stipulatio, quae verbis fit, si non habeat consensum nulla est.*

(3) Ita etiam ex Cod. noviss. cit. n. 1062.

parte voluntatis. Ex parte intellectus impeditur 1. per aetatem, defectu usus rationis; 2. per furorem, si usus rationis fuerit deperditus, 5. per errorem vel dolum. Impeditur vero ratione voluntatis per vim, et metum.

Q. *Quid est error, et qualis impedit consensum in contractu?*

R. Error est judicium falsum, quo una res accipitur pro alia. Si talis error est circa rei substantiam, impedit consensum, et reddit contractum nullum, secus vero si est circa personam, dummodo personae consideratio non sit causa principalis contractus (1).

Q. *Quid est dolus?*

R. Dolus est machinatio adhibita ad alium decipiendum.

Q. *Quando dolus reddit nullum contractum?*

R. Quando machinationes ab uno contrahentium adhibitae, sunt tam evidentes, ut sine ipsis altera pars non contraxisset. Unde dolus non praesumitur, sed probari debet (2).

Q. *Est ne validus contructus per vim initus?*

R. Est nullus, quia caret consensu requisito; idque etiamsi vis a tertia persona illata fuerit, diversa ab illa, in cujus commodum, factus fuit contractus (3).

Q. *Si vis facta fuit non uni contrahentium, sed erga illius maritum, Uxorem, illiusque descendentes, vel ascendentes, est ne validus contractus?*

R. Non est validus (4).

---

(1) Uti ex Cod. cit. n. 1064.
(2) Ibid. n. 1070.
(3) Ex eod. Cod. n. 1066.
(4) Isa expresse ibid. n. 1067.

Q. *Contractus celebrati per metum sunt ne validi?*

R. Si sunt celebrati per metum gravem, injuste incussum a causa libera, ad extorquendum consensum, sunt nulli; si vero per metum levem, sunt validi.

Q. *Solus timor reverentialis erga patrem, et matrem, aliosque ascendentes, reddit ne nullum contractum?*

R. Negative, dummodo tamen non intersit aliqua violentia facti.

Q. *Quid requiritur in metu, ut reddat contractum nullum?*

R. Requiritur 1., ut metus sit revera gravis; 2. ut sit injuste incussus; 3. ut sit incussus a causa libera; et 4. incussus ad finem extorquendi consensum.

Q. *Quinam sunt ad contrahendum habiles?*

R. Omnes qui habent usum rationis, et non sunt a Jure declarati incapaces.

Q. *Quinam sunt Jure incapaces ad contrahendum?*

R. Sunt Minores (1), Interdicti, et Mulieres.

Q. *Potest ne filius familias valide celebrare contractus?*

R. Si est minor, et contrahit de rebus mobilibus cum consensu patris, valide contrahit; secus non. Si vero de bonis immobilibus; et tunc, ut valide contrahat debet habere consensum patris, et facultatem a Tribunali (2).

Q. *Si filius familias est major, potest ne disponere*

---

(1) Illi nempe, qui nondum 21. aetatis annum expleverint.

(2) Cod. n. 292.

de rebus immobilibus, quae propria industria non comparavit?

R. Si nondum expleverit annum 25. potest, sed cum consensu patris (1) in actu; vel ipsius consensu in scriptis.

Q. *Potest ne filius facere Testamentum, et donationes sine patre?*

R. Si filius habet peculium proprium, et expleverit annum 16., potest de eo facere testamentum, et donationes, occasione Matrimonii (2).

Q. *Potest ne valide contrahere minor, qui est sub tutore?*

R. Si talis minor, cum licentia sui tutoris, contrahit de rebus mobilibus non pretiosis, potest; secus non. Si vero cum consensu tutoris, consilio familiae approbato, et a Tribunali Civili firmato contrahit de rebus immobilibus, et pretiosis, valide potest contrahere; secus non.

Q. *Dantur ne Casus, in quibus minor celebrat contractum sine auctoritate Tutoris, ac Judicis, et nihilo minus remanet obligatus naturaliter, et civiliter?*

R. Affirmative; suntque sequentes; nempe 1. si ex aliquo contractu minor factus sit locupletior (3);

---

(1) Ita expresse ex Cod. noviss. n. 295.

(2) Vid. Buonocore de contract. §. XVI. Consul. Cod. noviss. n. 819. et seq.

(3) *Nam* ex Reg. 48. Juris in 6. *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria.* Hinc » si pupillus, » vel minorensis mercem sibi traditam a venditore, » ante solutum pretium, bona fide consumpsit, vel amisit, potest compelli in foro Civili ad reddendum in » quo factus est ditior.

2. Si res ejus dolo perierit (1); 3. Si minor sit professurus Religionem; et 5. Si minor contractum juramento firmaverit (2).

Q. *Pupillus, vel minorennis, licet contrahens sine licentia tutoris, mox obligetur civiliter, obligatur ne saltem naturaliter?*

R. Utique obligatur naturaliter, hoc est in foro conscientiae, uti tenet communior sententia (3).

Q. *Dantur ne casus, in quibus pupillus taliter contrahens nec etiam obligetur?*

R. Affirmative; et sunt 1. Si pupillus cum ipso Tutore contrahat; veluti si vendat domum, agrum etc., quia hoc per Leges prohibetur (4). Secundo si pupillus alienet bona immobilia, vel mobilia pretiosa, quae servando servari possunt, saltem per triennium (5). Tertio si Judex ex speciali causa, interdixerit pupillo omnem administrationem rei suae (6).

---

(1) Tunc enim datur contra eum actio Civilis, qua solvere compellitur *l.* 1. §, *an in pupillum ff. depositis.*

(2) *Authen. Sacramenta puberum C. Si adversus venditiones.*

(3) Et ratio est, ait P. Ferraris V. Contractus n. 32., quia obligatio naturalis oritur ex consensu . . » Sed pupillus pubes, vel pubertati proximus, et a for» tiori minorennis sufficientem consensum habet. . . . » Ergo naturaliter, sive in foro conscientiae obliga» tur ex contractu. Neque Leges Civiles hujusmodi con» tractus irritant pro foro conscientiae, etc.

(4) Ita L. 1. et L. *pupillus ff. de auct. tutor etc.*

(5) Atque id, etiamsi tutor consenserit, sed decreto Judicis *l.* 12. *cod. de admin. tutor. etc.*

(6) In hoc enim casu deficeret consensus, quia consensus in contractu a pupillo praestitus, irritatur a Lege.

Q. *Quinam dicuntur interdicti ad contrahendum?*

R. Omnes illi, qui propter imbecillitatem, vel defectu perfecti usus rationis prohibentur sua bona administrare. Item prodigi, sine licentia Consulentis a Judice adsignati.

Q. *Potest ne mulier uxorata aliquando contrahere?*

R. Potest, sed de illis bonis, quorum habet proprietatem, et administrationem, uti sunt bona parapharnalia. Si vero velit ea donare, vel hypothecare, sine mariti auctoritate, non potest.

CAPUT III.

De qualitatibus contractuum.

Q. *Quaenam sunt qualitates contractuum?*

R. Sunt sequentes; nempe 1. Adjectio diei; 2. Conditio; 3. Modus; 4. Demonstratio; et 5. Causa.

Q. *Quando obligat contractus celebratus adjectione diei?*

R. Si dies adjecta est certa; uti dabo tibi centum die Paschatis, et obligat a principio; si dies est incerta, uti dabo tibi aureos quinquaginta quando navis venerit; et tunc obligat adveniente die. Si vero dies est certo futura, licet incertum quando advenerit, uti quando meus Pater objerit dabo tibi portionem haereditatis, quae mihi obveniet; vel dies incerta apposita sit in gratiam solius promissarii, veluti, cum ingrederis aliquam Religionem dabo tibi centum, et tunc contractus etiam obligat a principio.

Q. *Quid venit hic nomine conditionis?*

R. Qualitas illa, quae suspendit consensum in contractu, et exprimi solet per particulas *si, nisi, dummodo.*

Q. *Quotuplex distinguitur conditio?*

R. Triplex; nempe 1. *propria*, et *impropria*.

Conditio propria est illa, quae respicit futurum liberum, vel contingens; impropria vero est illa, quae respicit praeteritum, vel praesens, vel futurum necessarium.; 2. Alia *possibilis*, et alia *impossibilis*; 3. *Honesta*, et *inhonesta*.

Q. *Est ne validus contractus sub conditione celebratus?*

R. Si contractus fuit celebratus sub conditione impropria, et conditio est vera, esto a paciscente ignoretur, et statim est validus *(1)*. Si fuit celebratus sub conditione propria, vel de futuro contingenti honesto, et possibili, et verificata conditione, est validus. Si est celebratus sub conditione turpi, vel impossibili, et tunc est nullus (2).

Q. *Dantur ne casus, in quibus etiam conditione impossibili apposita, contractus est validus?*

R. Affirmative; et est quando conditio turpis, vel impossibilis apponitur in donatione inter vivos;

---

(1) Qui vero hac conditione contrahunt, tenentur expectare conditionis eventum, et interim non se reddere impotentes ad contractum exequendum. Statim vero ac verificatur conditio, absque novo consensu, contractus exequi debet; quia primus consensus primo positus, et qui ante conditionis eventum erat suspensus, evadit absolutus.

(1) Ita expresse statutum legitur in Cod. Novis. n. 1225 his verbis: « Qualunque condizione di una cosa » impossibile, o contraria a' buoni costumi, o proibita » dalla legge, è nulla, e rende nulla la convenzione, » che ne dipende ». Quare si quis diceret alicui; promitto tibi dare viginti nummos aureos, si Cajum suum inimicum occidet, contractus est nullus.

in ultimis voluntatibus (1), et in Matrimonio (2).

Q. *Quid est modus?*

R. Modus est clausula, qua adjicitur onus contrahenti, sed non suspenditur dispositio; atque his particulis *ut*, *ad*, *ne*, *pro*, exprimi solet.

Q. *Sunt ne validi contractus celebrati sub modo?*

R. Affirmative (3).

Q. *Si quis legavit alicui Ecclesiae pecuniae summam ad pias caussas, expresse declarans, legatum, esse nullum si pia opera non impleantur, valet ne hujusmodi contractus?*

R. Si legatum est acceptatum, et pia opera non adimplentur culpa solius Parochi, tunc legatum non potest revocari, quia Parochus potest nocere Ecclesiae pro jure adquirendo, non vero pro jure, quod jam est adquisitum.

---

(1) Sic expresse habetur in cit. Cod. n. 816. » » In qualunque disposizione tra vivi, o di ultima vo- » lontà, si avranno per non iscritte le condizioni im- » possibili, e quelle che sono contrarie alle leggi, o » al buon costume ». Tunc enim conditio turpis, vel impossibilis habetur ac si non esset apposita. Hinc si quis moriens relinqueret cuidam puellae nubili centum aureos, hac conditione ut neque nubat, neque ingrediatur aliquod Monasterium; potest iis frui, licet aeque nubat, aut Monasterium ingrediatur.

(2) Dummodo tamen conditio turpis non sit opposita tribus bonis substantialibus Matrimonii, quia si est opposita, Matrimonium non subsisteret, uti diximus supra.

(3) Ita ex Cap. de *Donationibus, quae sub modo* etc. Quare si quis promittit, donat, vel legat alicui pecuniae summam, ut sepulchrum, vel altare, vel domum aedificet, promissio, donatio, et legatum a principio valent, quia habent suum esse substantiale, absolutum ab accessorio modo, seu gravamine.

Q. *Valet ne legatum, vel donatio facta sub modo turpi, vel impossibili?*

R. Affirmative, quia talis modus habetur tanquam non adjectus (1).

Q. *Quid est demonstratio?*

R. Demonstratio est appositio signi, ad indicandam rem, vel personam, cum qua celebratur contractus.

Q. *Est ne validus contractus si demonstratio circa personam est falsa?*

R. Si in contractibus gratuitis demonstratio est falsa, tales contractus sunt nulli (2); si vero est in contractibus onerosis, et tunc tales contractus sunt validi, excepto Matrimonio.

Q. *Est ne validus contractus, si demonstratio est falsa circa rem?*

R. Si demonstratio est falsa circa rei substantiam, et tunc contractus est nullus, quia deest consensus. Si vero est circa rei qualitates, et tunc vel qualitas est deducta in pactum, vel non; Si est deducta in pactum, contractus etiam est nullus; vel non est deducta in pactum, et est validus.

Q. *Potest ne retineri rei excessus si demonstratio sit falsa circa numerum, et quantitatem rei?*

---

(1) Hinc si quis diceret, do tibi pecuniam ut abrenunties fidei Catholicae, et atheus fias: vel si itinere unius diei pervenias Parisios, contractus valeret, quia hujus modus rejicitur, et existimatur ac si non esset appositus.

(2) Et ratio est, quia in talibus contractibus, persona est objectum substantiale; deficiente ergo substantia in contractu, contractus non subsistit. Quare si quis donaret Cajo equum, putans illum esse Antonium, donatio non valeret quia consensus erat pro Antonio, non pro Cajo.

R. Si demonstratio est taxativa; hoc est quae incipit a mensura, et desinit ad rem (1), et tunc non potest; si vero est ostensiva, hoc est quae incipit a re (2), et desinit in mensuram, et tunc potest.

Q. *Quid est causa in contractibus, et quotuplex?*

R. Causa est ratio, propter quam efficitur contractus; atque his particulis exprimitur *quia*, *propter*, *quoniam* (3); duplex autem est, *motiva* scilicet, seu *finalis*, et *impulsiva*. Causa motiva est illa, quae movet aliquem ad contrahendum; ita ut si non esset, contractus non celebraretur (4). Impulsiva est illa, quae movet tantum, et impellit ad contrahendum, et sine qua, licet contractus fuisset celebratus, non tamen ita de facili (5).

Q. *Est ne validus contractus sub causa, si causa non subsistit?*

R. Si causa, quae non subsistit est motiva, et finalis, contractus est nullus, quia deest consensus, si vero est solum impulsiva, et tunc valet.

---

(1) Veluti do tibi centum, qui sunt in illo sacculo;

(2) Uti do tibi sacculum illum, in quo sunt centum.

(3) Uti esset do tibi decem nummos, quia es pauper, quia es bonus amicus; Vel do tibi centum propter expensas factas in favore mihi praestando, etc.

(4) Veluti si quis legaret Petro centum, quia est consanguineus.

(5) Ut si quis daret Sempronio viginti carolenos, quia est pauper, et non habet unde vivat.

R. Si loquimur de forma, et solemnitate substantiali a Jure statuta, est invalidus. Si vero de forma, et solemnitate accidentali, validus est (1).

Q. *Quale Juramentum apponi potest in contractibus?*

R. Juramentum promissorium (2).

Q. *Hujusmodi Juramentum quotuplex esse potest?*

R. Duplex; nempe 1. *per se stans;* et 2. *Confirmans contractum.* Prtmum est illud, quod apponitur in contractu nullo, qui a juramento non firmatur; Secundum vero est illud, quod additur vel contractui valido, qui majus accipit robur a juramento, vel contractui nullo, qui ratione additi juramenti, firmatur.

Q. *Quomodo obligant hujusmodi juramenta?*

R. Juramentum per se stans obligat tantum ex virtute Religionis; non transit ad haeredes, quia est obligatio personalis, et potest ex justa causa relaxari. Juramentum vero confirmans contractum obligat tam ex virtute Religionis, quam justitiae; transit ad haeredes, cum sit obligatio realis; et non potest, nisi urgentissima ex causa, relaxari.

Q. *Firmatur ne juramento contractus, qui est nullus?*

R. Si contractus est nullus jure Naturae, non firmatur. Si vero est nullus jure positivo, quia contra bonum commune, et etiam non firmatur; si vero est nullus quia contra bonum privatum, et tunc juramento firmatur (3).

---

(1) Ex vulgato enim Juris eloquio: *Multa facta tenent, quae fieri prohibentur.*

(2) Quale vero sit hujusmodi Juramentum vid. P. II. hujus Op. pag. 93.

(3) Ita ex Cap. 28. *Cum contingat* de juramento.

Q. *Est ne servandum juramentum per se stans?*

R. Dummodo sine peccato, et praejudicio tertii servari potest, debet servari (1).

Q. *Dantur ne casus, in quibus juramentum per se stans non obligat, esto sine peccato, et praejudicio tertii servari possit?*

R. Dantur hi casus, qui sequuntur; nempe 1. Quando Novitius cum juramento disponit de bonis suis, sine licentia Episcopi, et non infra duos ultimos menses proximos suae professionis (2), 2. quando promissio facta in favorem tertii, nondum acceptata habeat juramentum.

Q. *At si quis promisit cum juramento non revocandi promissionem, potest ne illam revocare antequam fuerit acceptata?*

R. Dissident inter se Doctores. Quidam cum Salmaticensibus volunt, posse illam revocare; alii contra negant.

Q. *Quid est Restitutio in integrum, et in quibus habet locum?*

R. Restitutio in integrum est prioris status reintegratio; et habet locum in contractibus validis quidem, sed qui possunt rescindi.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur, ut quis possit petere restitutionem in integrum?*

R. Istae duae conditiones requiruntur; nempe 1.

---

(1) Quare si quis juramento promisit latroni dare centum aureos, esto latro nullum jus acquisierit adversus jurantem, tenetur jurans dare illi promissam pecuniam; idque virtute praestiti juramenti, ne videatur adduxisse Deum in testem falsitatis. Cap. 6. *Debitores* et Cap. 8. de jurejurando.

(2) Uti ex Trid. Synodo *Sess.* 25. *Cap.* 16. *de Regularibus.*

ut in contractu adsit laesio, esto non sit notabilis; et 2. ut haec laesio veniat vi contractus; vel quasi contractus (1).

Q. *Quinam gaudent hoc privilegio?*

R. Sunt qui sequuntur; scilicet 1. Minores (2) 2. Ecclesia (3), et 3. Civitates (4).

Q. *Potest ne aliquando privilegium hoc concedi etiam Majoribus.*

R. Affirmative; uti in divisione haereditatis, si laesio excedit quartam partem haereditatis (5). In emptione, et venditione rerum immobilium, si venditor laesus sit ultra pretii dimidium, etiamsi huic beneficio expresse renuntiaverit, et declaraverit se reliquum pretium donare (6).

Q. *Quanti temporis spatium conceditur, ut minor restitutionem in integrum petere possit?*

R. In emptione, et venditione conceditur biennium (7); In aliis contractibus decennium, quod incipit decurrere a die, quo adquiritur majoritas (8).

Q. *Dantur ne casus, in quibus Minor non potest hoc privilegio uti?*

R. Utique dantur, et sunt sequentes; nempe 1. quando minor est mercator publicus, aut artifex in contractibus ad suam negotiationem, vel artem pertinentibus; 2. in conventionibus initis celebratione con-

---

(1) Ex Cod. Nov. n. 1219. et 1260.

(2) De hac re consul. Cod. Noviss. Sess. VII. a n. 1259 usq. 1266.

(3) Ex Cap. *Audistis.*

(4) L. 46. *Quibus de causis majore.*

(5) Cod. Nov. n. 807.

(6) Ibid. n. 1520.

(7) Ibid. n. 1522.

(8) Vid. Buonoc. de Contract. §. XVII.

tractus matrimonialis, si consensus accesserit illorum, quorum auctoritas in Matrimonio requiritur; 3. quando obligationes oriuntur ex delicto, vel quasi delicto; 4. quando minor, adepta majoritate, ratum habuit contractum, etiamsi nullum in aetate minori; 5. denique quando in celebratione contractus, solemnitates a Lege praescriptae fuerint servatae (1).

CAPUT V.

De Contractibus in specie. Et primo de contractibus gratuitis.

Q. *Quinam dicuntur Contractus gratuiti?*

R. Contractus gratuiti dicuntur illi, qui uni partium contrahentium sunt oneri, alteri sunt commodo. Tales sunt Promissio, Donatio, Mutuum, Commodatum, et Depositum.

Q. *Quid est promissio?*

R. *Est deliberata, et spontanea fidei obligatio facta alteri de re licita, et possibili.*

Q. *Quotuplex est promissio?*

R. Promissio duplex est; nempe *gratuita*, *et onerosa*. Prima est illa, quae nullum onus alteri imponit; onerosa vero, quae onus alteri vicissim imponit. Verum haec ad alium contractum pertinet.

Q. *Ut promissio obligationem inducat, requiritur ne ut sit acceptata ab eo, cui fit?*

R. Requiritur. Et sane ad adquirendum novum jus vi contractus, requiritur consensus saltem duorum in idem; sed talis consensus non habetur si pro-

---

(1) Ita ex Cod. Nov. cit. n. 1262. 1263. 1264. 1265. 1268.

missarius non acceptat promissionem ; Igitur etc.

Q. *Potest ne promissio, antequam sit acceptata revocari, sine injustitia* ?

R. Affirmative, et maxime si promissor justam habet causam mutandi sententiam.

Q. *Potest ne revocari promissio si est juramento firmata?*

R. Affirmative; quia juramentum sequitur naturam primordialem actus, cui adhaeret (1). Atqui actus, cui adhaeret juramentum, est revocabilis ante acceptationem; Ergo potest etiam revocari, esto sit juramento confirmatus (2).

Q. *Dantur ne casus, in quibus promissio ante acceptationem revocari non possit* ?

R. Dantur sequentes; nempe 1. quando promissio facta est infantibus, vel aliis, qui sunt rationis incapaces (3); 2. quando promissio facta est Civitati, causa reparationis aedificii igne destructi, vel ruina (4); 3,

---

(1) Ita ex L. finali *Indubitati juris* C. 30. *de non numerata pecunia.*

(2) Haec autem opinio falsa videtur P. Concinae Lib. III. de *Justitia et Jure Dissert.* V. Cap. XX. §. 4. Ait enim. « Utique juramentum in genere fidelitatis, irrevocabilem non efficit promissionem: et ideo dicitur, Juramentum sequi conditionem actus, cui apponitur, quatenus actum hunc, in suo genere revocabilem relinquit. Sed vinculum addit Religionis, vi cujus promissor se se obstringit ad non revocandam promissionem, alioquin vanum, et frustraneum esset juramentum illud. Materia quippe istius juramenti est non revocatio; Ergo dum revocatur, falsum evadit juramentum, et frustraneum.

(3) Nam cum isti tales non sint ad acceptandam promissionem capaces, promissiones, quae illis fiunt, videntur acceptari a Lege; adeoque etc.

(4) Ex L. *Pactum etc.*

promissio facta est Ecclesiae, Hospitalibus, et ad alias pias causas (1).

Q. *Quomodo peccat, qui non servat promissionem, jam ab alio acceptatam*?

R. Si promissio fuit improprie accepta, et ipse intellexit se obligare tantum ex virtute fidelitatis, aut veracitatis, et tunc peccat leviter, licet promissio fuerit de materia gravi; Si vero promissio fuit propria, hoc est, qui eam fecit intellexit se obligare ex virtute justitiae, et transferre jus, et actionem in promissarium; et tunc si materia est gravis, peccat graviter; si vero levis, leviter (2).

Q. *Si promissarius est mortuus, possunt ne haeredes praetendere implementum promissionis a promittente?*

R. Non possunt, quia est facultas personalis, quae non transit ad haeredes.

Q. *At si moritur promissor ante acceptationem promissarii, possunt ne haeredes illius, promissionem revocare*?

R. Dissidium est inter Doctores. Sunt, qui dicunt non posse, quia cum facultas revocandi sit personalis, non transit ad haeredes. Sunt alii, e contra, qui dicunt posse revocare, imo promissarium non posse promissionem acceptare, quia per mortem promittentis, extinctus est illius consensus. Et haec sententia probabilior existimatur.

Q. *Quomodo cessat obligatio promissionis, etiam acceptatae*?

R. Cessat sequentibus de causis; scilicet 1. *Condonatione promissarii*; 2. *Ingratitudine promissarii*

---

(1) L. *Illud Cod. de Sacr. Eccles. etc.*

(2) Hinc vulgare illud eloquium: *Ogni promessa è debito.*

3. *Compensatione; et 4. Mutatione materiae;* uti esset, si res promissa evaderet illicita, vel impossibilis.

Q. *Quid est donatio?*

R. *Donatio* (1) *est rei licitae, nullo jure cogente, ex mera liberalitate facta collatio, seu datio* (2).

Q. *Quid requiritur, ut donatio valeat?*

R. Requiritur 1. Ut fiat ab eo, qui possit donare; 2. Ut ille, cui donatur sit aptus ad recipiendam donationem; 3. ut res, quae donatur, non sit perniciosa; 4. ut sit spontanea; 5. deliberata; et 6. acceptata (3).

Q. *Quotuplex est donatio?*

R. Donatio 1. alia est *realis*, alia *verbalis;* 2. Alia pure *liberalis*, alia *remuneratoria*; 3. Alia *inter vivos*, alia *causa mortis.* Donatio realis est illa, quae fit traditione rei; verbalis vero, quae fit solis verbis. Donatio liberalis est illa, quae nullam supponit in donante obligationem; remuneratoria vero, quae gratitudinis obligationem supponit. Donatio inter vivos est illa, qua quis, se vivo, vult rem suam esse alterius; donatio autem mortis causa est illa, qua quis, sic donat, ut velit, rem suam, nonnisi post suam mortem esse alterius, cum expressa mentione mortis.

Q. *Datur ne differentia inter donationem inter vivos, et illam, quae est causa mortis?*

R. Affirmative. Nam 1. donatio inter vivos transfert continuo rei dominium in donatarium, etiam vi-

---

(1) Hujus nominis exthymologiam, a dono derivare dicitur, ita ut donatio idem sit, ac doni datio.

(2) Ita ex l. *donare, et donation., et l. donari 82. ff. de Reg. Juris.*

(3) Vid. quae dicta sunt de promissione.

vente donatore (1); donatio vero causa mortis dominium confert post mortem donatoris (2). Donatio inter vivos irrevocabilis est, exceptis aliquibus casibus; donatio causa mortis est revocabilis (3); Donator inter vivos potest a judice cogi ad rem donatam tradendam; non sic autem donator causa mortis.

Q. *Quibus de causis expirat donatio causa mortis.*

R. Pluribus de causis. Et 1. expirat ipso jure, cum cessat infirmitas, seu mortis periculum, cujus occasione, et intuitu facta fuit (4); 2. Cum donatarius moritur ante donationem (5); 3. Cum donatorem poenitet donationis factae (6); et 4. cum donator poena capitis afficitur (7).

Q. *Potest ne aliquando revocari donatio inter vivos?*

R. Affirmative; et quidem his de causis; nempe 1. per conditionem non adimpletam (8); 2. Ob pro-

---

(1) L. *final. Cod. de revoc. donat.*

(2) Nam uti habetur l. ff. de donat: *Non videtur perfecta donatio mortis causa facta, antequam mors* (donatarii) *insequatur.*

(3) *In supremis enim dispositionibus*, uti habetur *ff. de adimendis l. 4., haec regula dubio procul obtinet, ut ambulatoria sit hominis voluntas usque ad extremum vitae spiritum.*

(4) §. 1. Instit. de donat. ubi sic. *Sin autem supervixisset, is qui donavit, reciperet.*

(5) Ibid. *Aut prior decesserit, cui donavit.*

(6) Idib. *Vel si eum donationis poenituisset.*

(7) L. Si aliquis mortis causa donaverit, et poena fuerit capitis affectus, removetur donatio ut imperfecta, quamvis caeterae donationes, sine suspicione poenae factae, valeant.

(8) Quod enim sub conditione alicui donatum est, justum est, ut non impleta conditione, revocetur.

lem postea susceptam (1); 3. Ob ingratitudinem donatarii (2). Et 4. Si donatio fuerit inofficiosa, hoc est in filiorum praejudicium.

Q. *Quinam possunt donare*?

R. Omnes homines sani mente, qui liberam habent bonorum suorum administrationem, neque sunt a Lege prohibiti (3).

Q. *Quantum quis donare potest*?

R. Si loquimur de donatione inter vivos, jure

---

(1) Nam qui filios non habens donationem, fecit censatur donasse hac conditione; nisi filii donatori nascantur. Cum praesumi non possit, aliquem velle, extraneos propriis filiis, praeferre.

(2) Veluti si injurias atroces in donatarium intorserit; si impias manus in eum extenderit; si vitae ejus insidiaverit; si damnum illius bonis attulerit; si inopia pressum non aluerit etc.

(3) Qui namque est verus dominus rei suae, et est sui compos, potest de ea pro lubitu disponere, dummodo tamen justis de causis, a Lege non sit impeditus Idipsum statuitur in Cod. noviss. art. 871. his verbis ». Per» chè taluno possa far donazione tra vivi, o testamento, » è necessario, che sia sano di mente « et art. 818 «. » Qualunque persona può disporre, e ricevere per do» nazione tra vivi, o per testamento, eccetuate quelle » che sono dalle leggi dichiarate incapaci. Hinc donare non possunt amentes, infantes, pupilli, minorenni sine auctoritate Tutoris, vel curatoris; item filius familias sine consensu patris; nisi forte habeat bona castrensia; vel quasi castrensia; Uxores sine licentia virorum suorum, nisi habeant bona parapharnalia, vel extradotalia, de quibus dominium habent, atque administrationem, a maritis indipendentem; similiter prodigi; tandem solemniter professi in quacumque Religione adprobata. Consul. Ccd. eit. P. Lucius Ferraris V. donatio C. 2.

communi, fieri non potest de omnibus bonis tam praesentibus, quam futuris (1); neque debet excedere summam 500. aureorum. Si vero de donatione causa mortis, et tunc talis donatio fieri potest.

Q. *Quaenam solemnitates requiruntur in donatione?*

R. Si donatio est inter vivos, requiruntur eae solemnitates, quae requiruntur in Instrumento; Si vero sunt causa mortis, sive per Testamentum; et tunc eae solemnitates requiruntur, quae in Testamentis requiruntur (2).

CAPUT VI.

De Mutuo, Commodato, Deposito, et Praecario.

Q. *Quid est mutuum?*

R. *Mutuum* (3) *est gratuita rei traditio, numero, pondere, vel mensura constantis, facta eo animo, ut statim fiat accipientis, cum obligatione, ut simi-*

---

(1) In noviss. autem Codice Cap. III. Sessione. I. n. 829. statuitur, donationem sive inter vivos, sive causa mortis, non debere excedere medietatem bonorum, cum alia medietas pro filiis servari debeat, et si desint filii, aliis descendentibus, vel ascendentibus n. 830. 831.

(2) Pro hac materia Consul. est codex novissim. pro Regno Neapolis.

(3) Mutuum ita dicitur, quia id quod datur, de meo fit tuum. Ita enim expresse habetur in Inst. *Quibus modis recontrahatur obligat.* Inde etiam dictum est *mutuum*, quia ita a me tibi datur, ut ex meo tuum fiat.

lis in specie, et bonitate restituatur (1).

Q. *Quotuplex est Mutuum?*

R. Est duplex; nempe *expressum*, et *tacitum*. Expressum est illud, quod fit aperte; tacitum vero, quod includitur in alio contractu; veluti quando venditur aliquid pecunia credita; hoc est data dilatione pecuniam solvendi post aliquos menses, ex. gr. vel annos (2). Secundum vero Codicem novissimum, duplex quoque statuitur; nempe illud, quod est de rebus, de quibus possumus habere usum, quin res ipsae consumantur, et illud quod fit de rebus, quae usu consumantur. Primi generis mutuum vocatur *mutuum ad usum*, sive *commodatum*; secundi generis vero vocatur *mutuum* vere dictum.

Q. *Tenemur ne dare mutuum?*

R. Si proximus est in necessitate, tenemur ex charitate (3). Nam si obligamur ad eleemosynam elargiendam indigentibus, ex praecepto Divino, multo magis tenemur dare mutuum.

Q. *Ad quid tenetur mutuator?*

R. Tenetur dare mutuum gratis (4); monere mutuatarium de vitio rei mutuatae; et 3. rem mutuatam non repetere ante tempus statutum (5).

Q. *Ad quid tenetur mutuatarius?*

R. Tenetur tempore debito mutuum restituere

---

(1) Mutuatarius ergo fit dominus rei mutuatae, sed contrahit obligationem reddendi similem in specie, et bonitate.

(2) Tit. XI n. 1746 1947.

(3) Deuteronomii Cap. XV.

(4) Juxta illud: *Mutuum date nihil inde sperantes.*

(5) Quod si tempus non fuit statutum, poterit eam repetere secundum circumstantias, quae occurrent.

in eadem specie, et bonitate, vel physica, vel morali, si mutuum fuit in pecunia (1); nisi aliter juste fuerit conventum.

Q. *Dantur ne casus, in quibus non habetur obligatio mutuum restituendi?*

R. Dantur, et sunt sequentes; 1. quando pecunia fuit mutuata filio familias, sine parentum consensu (2); 2. quando mutuum fuit datum minori (3); 4. quando fuit datum Ecclesiae (4); 4. quando fuit datum Civitati, Oppido, etc. (5).

Q. *In quo casu minor, Ecclesia, Civitas etc. non tenentur mutuum restituere?*

R. Quando mutuans non potest probare, mutuum conversum fuisse in utilitatem minoris, Civitatis, Ecclesiae, vel aliorum Piorum locorum, Tunc enim ad id tenentur soli Rectores, et Administratores (6).

---

(1) » Quare si accepisti centum in aliqua specie » monetae, et deinde augetur valor monetae ejus speciei, sufficit si reddatur valor centum, licet in monetis paucioribus, quia reddendo valorem, quem accepisti, reddis quantum tempore mutui accepisti ».

(2) L. 1. verbo senatus tit. 6. de Senatus Consulto Macedoniano. Atque hoc ex privilegio filiis familias concesso, cui non possunt renuntiare. « Quia verbis utor P. Ferraris V. Mutuum n. 17. » Senatus consultum » Macedonianum, non solum conditum est in favorem » filiorum, sed multo magis in favorem parentum; ne » scilicet ipsorum mors ob restitutionem talis mutui a » filiis intenderetur: nemo autem renunciare potest » privilegio in favorem alterius, et in odium delinquen- » tium facto ». Arg. Cap. diligenti 12. de foro competenti.

(3) Ita ex L. V. *Si in rem.*

(4) Ex Authentica *hoc jus porrectum est.*

(5) Ex L. 26. *Civitas.*

(6) Vid. P. Ferraris V. Mutuum n. 4.

Q. *Dantur ne casus, in quibus filius tenetur restituere mutuum acceptum?*

R. Affirmative; et 1. quando ipse habet bona castrensia, vel quasi castrensia; 2. quando existimabatur sui juris; 3. quando mutuum est conversum in beneficium patris; vel filius accepit mutuum, patre consensiente, vel non contradicente; 4. quando mutuum non fuit de pecunia, sed de re alia; 5. quando filius accepit mutuum in necessitate providendi de necessariis ad victum, vestitum, studia, ad quae tenebatur pater; 6. quando filius accipit mutuum tempore, quo est militiae addictus.

Q. *Licet ne mutuanti exigere pignus a mutuatario?*

R. Licet; immo aliquando maxime expedit, ne mutuatarius, non reddens suo tempore mutuum, inimicus fiat mutuantis, et oriantur discordiae, rixae, etc. cum damo animarum, et corporum (1).

Q. *Si mutuatarius tempore debito non restituit mutuum, vel ejus valorem, ad quid tenetur?*

R. Debet solvere interesse a die, quo facta ei fuit petitio judiciaria (2).

Q. *Ad quid tenetur, qui non potest restituere mutuum acceptum?*

R. Tenetur ad solvendum valorem, habito respectu ad tempus, et locum, in quo debebat, juxta conventionem, fieri rei restitutio (3).

Q. *Si res mutuata perit, cui perit?*

R. Perit mutuatario, quia est verus dominus il-

---

(1) Caveant tamen quammaxime mutuantes, ne pignoris loco accipiant a pauperibus, quod illis est valde necessarium, puta vestem quotidianam, lectum, etc.

(2) Ita expresse in Codice noviss. cit. n. 1776.

(3) Ex eodem Cod. ibid.

lius, non vero mutuanti, quia iste, mutuando, rei suae, in mutuatarium transtulit dominium.

Q. *Quinam possunt dare mutuum?*

R. Omnes illi qui possunt contractus celebrare

Q. *Quid est commodatum?*

R. *Est contractus, quo res ad aliquem specialem usum, et determinatum tempus, gratis alicui conceditur* (1).

Q. *Quaenam res possunt commodari?*

R. Res omnes sive mobiles, sive immobiles, quae sunt in commercio, et quae licet minuantur, non absumuntur.

Q. *Ex qua culpa tenetur commodatarius si res perit?*

R. Vel Commodatum fuit factum in gratiam solius commodatarii; et tunc tenetur de omni culpa, etiam levissima (2). Si vero fuit factum in gratiam solius commodantis; et tunc commodatarius tenetur tantum de dolo, et culpa lata (3). Si factum fuit in gratiam utriusque; et tunc commodatarius, tenetur de culpa lata, et levi, non autem levissima (4).

Q. *Quid dicendum si res commodata, casu fortuito perit?*

R. Si casu vere fortuito perit, puta ex incen-

---

(1) Secundum nominis ethymologiam, *dicitur commodatum, quasi utentis commodo datum. Glossa in Cap. Quam gratia unic. de commodato, verbo commodatum.* Qui rem alteri commodat dicitur commodans, sive commodator, qui vero rem sibi commodatam recipit, dicitur commodatarius.

(2) Ita expresse ex Jure tam Canonico, quam Civili, uti apud cit. Ferraris n. 18. et seq.

(3) *Lib. Sicut certo §. 7. interdum, ff. Commodati.*

(4) *L. in rebus 18. §. 1. ff. Commodati.*

dio, naufragio, hostium incursione, et praedonum impetu, etc., ad nihil tenetur commodatarius (1).

Q. *Dantur ne casus, in quibus commodatarius tenetur de casu fortuito?*

R. Affirmative, scilicet 1. quando casus fortuitus evenit culpa commodatarii (2); 2. quando commodatarius ab initio rei commodatae periculum casus fortuiti suscepit (3); 3. quando fuit in culpabili mora restituendi rem commodatam (4).

---

(1) Textu expresso l. *Contractus* 23. *de diversis juris antiqui reg.* in fine lib. 5. cit. 17. his verbis: *Rapinae, tumultus, incendia, aquarum magnitudines, impetus latronum a nullo praestantur.*

(2) Ita C. *Quum gratia, unic. de commodato.* Hinc si quis comodavit alicui equum ut pergeret ad villam, et ille perrexit ad bellum, in quo equus fuit occisus, tenetur de integro damno.

(3) Quapropter si quis quaerens equum sibi commodari, et quoniam hostium incursus timetur, suscipit in se equui periculum, si equus ab hostibus est depredatus, potest a Judice compelli ad equui valorem solvendum *L. 1. Cod. de Commod.*

(4) Ita ex cit. cap. n. 6. *quia mora sua cuilibet est nociva.* His tribus casibus, adduntur a Cod. Noviss. duo sequentes alii casus, his verbis expressi; nempe 1. n. 1755. Se la cosa sia stata stimata nel » fare il prestito, la perdita, ancorchè succeda per » caso fortuito, è a carico del Commodatario, qua- » lora non vi sia convenzione in contrario. Secundus » n. 1754. « Se la cosa prestata perisca per un caso » fortuito, dal quale il Commodatario l' avrebbe po- » tuto sottrarre surrogando la propria, e se non po- » tendo salvare se non una delle due, abbia preferita » la propria, egli è tenuto per la perdita dell' al- » tra ». Consul. P. Ferraris V. *Commodatum* n. 46 52. et seq.

Q. *Quaenam sunt commodatarii obligationes*?

R. Sunt sequentes; nempe 1. non excedere fines usus praescripti (1); 2. Restituere rem, tempore statuto, vel post usum, ad quem res data fuit; 3. non repetere expensas pro rei usu factas (2).

Q. *Quaenam sunt commodantis obligationes?*

R. Hae, quae sequuntur; videlicet 1. facere expensas extraordinarias pro conservatione rei; si quae a commodatario, durante commodato, factae fuerint (3); 2. Monere commodatarium de vitio rei (3); 3. Non repetere commodatum ante praefixum tempus (5), excepto casu urgentis, et non praevisae necessitatis (6); et 4. commodare gratis.

Q. *Quid est depositum*?

R. *Depositum est contractus, quo aliquid alicui custodiendum traditur sine mercede, ut integrum custodiatur, et in specie restituatur*

Q. *Quale est objectum depositi*?

R. Objectum depositi sunt bona mobilia.

Q. *Quotuplex est depositum?*

R. Duplex est; nempe *voluntarium*, et *necessarium*. Depositum voluntarium est illud, quod fit mutuo consensu, deponentis scilicet, et depositarii; quod si excedat summam ducatorum quinquaginta, scriptura probari debet. Necessarium vero est illud, quod fit ob aliquem non praevisum casum; puta incendii, naufragii, etc.; quodque testibus probari potest, si quinquanginta aureos excedat; quod ipsum di-

---

(1) Ita ex Cod. etiam noviss. n. 1763.
(2) Ex eod. Cod. n. 1758.
(3) Ex laud. Cod. noviss. n. 1758.
(4) L. 12. et 18. D. Cod.
(5) Cod. noviss. n. 1760.
(6) Ib. n. 1761.

cendum est de deposito apud cauponem facto (1).

Q. *Quinam possunt facere depositum voluntarium?*

R. Cum depositum sit contractus, omnes illi qui possunt contrahere, possunt etiam depositum facere. Quod si persona capax recipit depositum factum a persona incapaci, tenetur ad omnes obligationes veri depositarii (2).

Q. *Quam diligentiam adhibere debet depositarius in custodia depositi?*

R. Debet adhibere eamdem curam, et diligentiam, quam adhiberet in re sua custodienda (3).

Q. *Potest ne depositarius uti re in depositum ei data?*

R. Non potest sine expressa, vel tacita depositantis licentia (4).

Q. *Quomodo debet depositarius rem depositam restituere?*

R. Tenetur rem depositam restituere talem qualem accepit; uno verbo idemticam (5).

Q. *Quid dicendum, si depositum perit?*

---

(1) Consul. Codex noviss. Tit. XII. n. 1792. et sequen.

(2) Ibid. n. 1797. 1798.

(3) L. *quod Nerva* ff. depositi, et expressius in Cod. Nov. his verbis: « Il depositario deve usare » nel custodire la cosa depositatá, la stessa diligenza, » che impiega per custodire le cose, che gli apparten- » gono » n. 1799.

(4) Cod. cit. n. 1802.

(5) Ita ex Cod. noviss. n. 1804. *Nam si res deposita deterior reddatur, quasi non reddatur: cum enim deterior redditur, potest dici, dolo malo, redditam non esse. In l. 1. §. an in pupillum ff. depositi.*

R. Si depositum perit culpa depositarii, et tunc iste tenetur ad restitutionem. Si vero perit casu fortuito, et tunc non tenetur.

Q. *Dantur ne casus, in quibus depositarius, etiamsi depositum casu fortuito pereat, tenetur?*

R. Affirmative; et sunt 1. Si intercesserit pactum; 2. si aliqua praecesserit culpa; et 3. si fuerit in culpabili mora restituendi depositum (1).

Q. *Si depositum fuit factum penes Clericum, Ecclesiam, vel Monasterium, et culpa lata, vel dolo depositarii fuit deperditum, potest ne Ecclesia, vel Monasterium obligari ad aliquid?*

R. Si res deposita fuit conversa in utilitatem Ecclesiae, vel Monasterii, et tunc potest obligari (2); secus vero non (3).

Q. *Quando depositarius tenetur reddere depositum*

R. Quando deponens illud petit; dummodo non sit in praejudicium, vel ipsius depositarii, vel alterius (4).

Q. *Quid est precarium?*

R. Precarium est gratuita solius usus rei concessio, ad nutum revocabilis (5).

---

(2) Consul. P. Ferraris loco cit. n. 20. Alia quae hic addi possent, legi poterunt in Codice novissimo, ubi agitur de Deposito.

(3) Ita expresse in Cap. *Gravis 1. de Deposito.*

(4) Nam ex Reg. 76. Juris in 6. *Delictum personae non debet in detrimentum Ecclesiae redundare.*

(5) Hinc si Titius deposuit sclopum, vel gladium penes Sempronium, et petit gladium, sclopum, ut interficiat Cajum suum inimicum, non debet Sempronius depositum ei reddere; sed differre.

(6) In hoc ergo differt precarium a commodato, quod precarium est ad libitum revocabile, commodatum vero in definito tempore.

Q. *Ex qua culpa precarium obligat*?

R. Obligat ex dolo, et culpa lata (1).

Q. *Quotupliciter revocari potest precarium*?

R. Dupliciter; scilicet voluntate sive expressa, sive tacita deponentis; 2. morte vel illius, cui concessum est, vel illius, qui concessit; modo ob solum beneplacitum ejus fuerit concessum.

Q. *Quando dominus potest repetere precarium*?

R. Sine aliqua urgente necessitate, non potest repetere statim ac concessit, ne videatur illusorie, et frustra illud concessisse.

Q. *In quibus rebus potest constitui precarium*?

R. Potest constitui non solum in rebus mobilibus, et immobilibus; sed etiam in Juribus (2).

CAPUT VII.

De Usura.

Q. *Quid est usura*?

R. *Usura est lucrum proveniens ex mutuo, vi mutui* (3).

Q. *Quotuplex distinguitur usura*?

R. Quatruplex; nempe *mentalis*, *realis*, *aperta*, seu *formalis*, et *palliata*. Usura mentalis est illa, quae a mutuante in mente concipitur, dum dat mutuum, et de facto percipitur, sed neque expresse, neque tacite est deducta in pactum. Realis est illa, quae percipitur in contractu mutui cum pacto sive

---

(7) Ita ex L. 8. *Quaesitam*. §. *Eum quoque.*

(8) Uti ex L. III. D. 1. cit.

(1) Usura ergo non est, quoties quis aliquid accipit ex mutuo, non praecise ob mutuum, sed ex pura mutuatarii liberalitate.

explicito, sive implicito aliquid ex mutuo, ultra sortem, percipiendi. Aperta, et formalis est illa, quae ex contractu mutui formali, et simplici percipitur. Palliata tandem est illa, quae percipitur ex mutuo latente sub alio aliquo contractu, puta venditionis, ob dilatam solutionem etc.

Q. *Quo iure prohibita est usura?*

R. Est omni jure prohibita; nempe Jure Naturali (1); Jure Divino (2); Jure Ecclesiastico (3) et Jure Civili (4).

Q. *Licet ne mutuanti exigere aliquid ultra sortem, saltem tamquam debitum ex gratitudine?*

---

(1) Et sane res mutuo data transit in dominium illius cui datur; Qui ergo eam dedit, cum non sit amplius dominus illius, non potest sine injustitia, et peccato furti, aliquod lucrum ex ea reportare. Unde si aliquid acciperet, non fieret illius dominus, et teneretur ad restitutionem.

(2) Ait nàmque Christus Dominus Lucae Cap. VI *Mutuum date nihil inde sperantes.* Quibus verbis non solum prohibet aliquid supra sortem revera accipere, sed tollit omnem spem illud accipiendi, tanquam debitum ex justitia, vel gratitudine.

(3) Uti colligitur ex toto *tit. de usuris* tum 5. quam 6. Decretalium; et ex Clementina unico de usuris §. *Sane* ubi sic: *Sane si quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare praesumat exercere usuras non esse peccatum, decernimus, eum velut Haereticum puniendum.*

(4) Et patet ex variis Legibus, et Constitutionibus a Regibus, et Imperatoribus datis, quibus usurae sub gravissimis poenis severe prohibentur. Vid. P. Couc. *de Usura.*

R. Non licet; et oppositum est ab Innocentio XI. damnatum (1).

Q. *Est ne licitum dare mutuo cum pacto remutuandi?*

R. Si id exigitur ex justitia, non licet, quia imponitur onus, od quod mutuatarius non obligatur.

Q. *Potest ne mutuator aliquid exigere supra sortem si se obliget non repetendi debitum usque ad certum tempus?*

R. Negative, et oppositum fuit ab Alexandro VII. proscriptum (2).

Q. *Potest ne quis aliquid ultra sortem exigere, eo quia pecunia praesens est pretiosior futura?*

R. Non potest, uti patet ex Propositione ab Innocentio XI. proscripta (3).

Q. *Est ne licitum dare alicui mutuum cum pacto ut alteri debitum solvat?*

R. Si debitum est liquidum, et certum, licet, quia non imponitur novum onus, quod non habebat, sed illud ad quod jam tenetur; secus vero si debitum est incertum, et litigiosum.

---

(1) Hic namque Pontifex sequentem n. 42. proscripsit propositionem: « Usura non est, dum ultra » sortem, aliquid exigitur tanquam ex benevolentia, » et gratitudine debitum, sed solum si exigatur tan» quam ex justitia debitum.

(2) Hanc enim iste Pontifex damnavit Propositionem n. 42 « Licitum est mutuanti aliquid ultra sor» tem exigere, si se obligavit ad non repetendam sor» tem usque ad certum tempus ».

(3) Nempe 41. quae sequens est. « Cum nume» rata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit, » qui non majoris faciat pecuniam praesentem, quam » futuram; potest creditor aliquid ultra sortem a mu» tuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari.

Q. *Est ne usura mutuare alicui hoc pacto, ut remittat injuriam suo inimico?*

R. Quoad forum internum non est usura, quia remittere injurias est obligatio, ad quam quisque tenetur (3); Ast quoad forum externum, hoc est non exigendi cumpensationem damni illati, et tunc est usura; quia ad hoc mutuatarius non obligatur.

Q. *Est ne Usura si mutuans dat mutuum, hoc pacto,. ut mutuatarius remittat obligationem restituendi non solum bona fortunae, sed etiam famae, quam antea injuste laeserat?*

R. Affirmative; quia talis obligatio est mutuatario onerosa, et molesta; et sic ejus condonatio est pretio aestimabilis.

Q. *Est ne usura si quis daret frumentum, Ex. gratia, mutuo, mense Augusti, in quo valet minus, cum obligatione restituendi illud mense Martio, in quo valet pluris?*

R. Si mutuator est negotiator, et solitus est frumentum servare usque ad talem mensem, ut pluris vendat, et tunc non est usura, detractis tamen expensis, quas ipse facere debuisset pro conservatione frumenti; si non est negotiator, nec solitus usque ad talem mensem frumentum repositum tenere, est usura.

Q. *Potest ne permitti Usura ut liberentur captivi e manibus Saracenorum, ut alantur pauperes, aedificentur, vel restaurentur Ecclesiae?*

R. Non potest permitti, quia quod Divino, et humano jure est prohibitum, nunquam auctoritate humana permitti potest (4).

---

(3) Ait enim Christus Dominus Luca VI. v. 37., *Dimitte, et dimittemini.*

(4) Id clare patet ex responsione Alexandri III., ad Archiepiscopum Panormitanum, qui talem facultatem ab ipso quaesierat; quae sequens est: *Responde-*

CAPUT VIII.

De Titulis ab Usura excusantibus Ubi de Pignore, et Hypotheca, ~~et Poenis contra Usurarios.~~

Q. *Dantur ne tituli ab Usura excusantes?*

R. Dantur, et sunt sequentes; nempe 1. *Lucrum cessans*; 2. *Damnum emergens*; et 3. *periculum amittendae sortis.*

Q. *Quando habentur tales tituli?*

R. Lucrum cessans habetur quando quis, occasione mutui dati, cessat percipere emolumentum, et lucrum, quod solitus erat percipere, et percepisset, si mutuum non dedisset. Damnum emergens habetur quando quis, occasione mutui, damnum patitur in bonis suis, quod non fuisset passus, si mutuum non dedisset. Periculum vero amittendae sortis habetur, quando datur mutuum personae, aut non satis notae, et bonae famae, aut debitis gravatae.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur, ut quis ratione lucri cessantis possit in mutuo aliquid exigere ultra sortem?*

R. Sequentes conditiones; nempe 1. Ut lucrum revera, aut saltem probabiliter cesset; 2. ut cesset ratione mutui; 3. ut solummodo tantum exigatur, quanta est spes lucri, deductis labore, atque expen-

---

mus, quod cum usurarum crimen utriusque Testamenti pagina detestetur, super hoc despensationem aliquam posse fieri non videmus, quia cum Scriptura Sacra prohibeat pro alterius vita mentiri, multo magis prohibendus est quis, ne etiam pro redimenda vita captivi usurarum crimine involvatur. Vid. P. Ferraris V., Usura n. 28.

sis; 4. Ut moneatur mutuatarius de lucro cessante, et sic libere consentiat; et 5. ut lucrum non accipiatur tempore, quo datur mutuum.

Q. *Quid requiritur ut quis, ratione damni emergentis, possit in mutuo exigere aliquid supra sortem?*

R. Requiritur 1. ut damnum revera, vel probabiliter eveniat; ut eveniat occasione mutui; 3. ut tantum exigatur, quantum est damnum; et 4. ut de hoc moneatur mutuatarius.

Q. *Quot conditiones requiruntur, ut ratione periculi sortis, possit in mutuo aliquid accipi?*

R. Sequentes; scilicet 1. ut periculum sit extrinsecum; 2. ut exigatur, quantum daretur alteri pro assecuratione; 3. ut mutuatarius possit, si velit, alio modo assicurare sortem mutuanti.

Q. *Potest ne in mutuo apponi poena conventionalis; hoc est, ut mutuatarius aliquid mutuanti solvat ultra sortem, si tempore statuto, mutuum non restituat?*

R. Si poena est justa, et moderata, nec est apposita ad palliandam usuram; nec mutuatarius est in culpabili mora ad restituendum, apponi potest talis poena; secus, non.

Q. *Titius bona fide fecit contractum usurarium dum poterat facere contractum licitum, potest ne retinere lucrum inde perceptum?*

R. Non conveniunt inter se Doctores. Quidam enim dicunt posse retinere; quidam contra negant; et haec sententia probabilior existimatur; quia contractus usurarius est omni jure nullus (1).

Q. *Quid est Pignus, quid Hypotheca; et num possit mutuatarius illa exigere ob securitatem mutui?*

---

(1) Vid. P. Ferraris V. *Usura* n. 59. 60.

R. 1. Pignus est contractus, quo res mobilis alteri traditur ad securitatem crediti. Hypotheca vero est contractus, quo res immobilis obligationi subjicitur pro cautione debiti erga creditorem (1).

R. 2. Potest, quia unusquisque jus habet servandi se indemnem.

Q. *Licet ne pro securitate mutui accepti apponere pignori pactum legis commissoriae; hoc est ut si debitor non solvat tempore constituto, pignus cedat creditori?*

R. Non licet, quia pignus valet pluris quam debitum. Licebit tamen si apponatur pactum reddendi valoris pignoris excessum, debitori.

Q. *Potest ne creditor uti fructibus pignoris?*

R. Non potest; Nam cum fructus pignoris pertineant ad dominum illius, contractus hujusmodi esset usurarius, et hinc prohibitus (2).

Q. *Dantur ne casus, in quibus pignoratarius possit uti fructibus pignoris?*

R. Dantur sequentes casus; nempe 1. Quando creditor certo pretio emit pignus, cum pacto illud

---

(1) Ita communiter, et etiam Codex noviss. num. 1751. 194. 200. 159. In pignore igitur res transit ad creditorem, non sic autem in hypotheca. Hinc L. 9. ff. §. 2. de pignoratitia actione: proprie pignus dicitur, quod ad creditorem transit.

(2) Contractus hujusmodi vocatur *Antichriseos*, Juxta Codicem vero noviss. n. 1932. « Quando sia » data una cosa immobile si chiama *antichresi*, vulgo *contratto a godere*, quia creditor fruitur re mutuo accepta. Cap. 8. *Conquestus de Usuris*. Verum de hoc contractu consulendus est Besombes de Contract. C. VIII. Art. II. §. unic. consect. 4. et seq.

retrovendendi (1) 2. quando pignus fuit datum ratione dotis promissae, ad hoc ut interea creditor habeat unde possit onera matrimonii sustinere; 3. quando feudum, vel emphyteusis oppignoratur proprietario.

Q. *Quaenam res oppignorari possunt?*

R. Possunt oppignorari res omnes, quae sunt in commercio (2), nisi Lege vel Divina, vel Canonica, vel Civili oppignorari prohibeantur. Hinc oppignorari non possunt res Deo sacrae (3); res alienae (4); Item Res feudales; res dotales (5); res litigiosae (6); res minorum (7); res fideicommisso obnoxiae (8); res bello partae; instrumenta artis (9).

---

(1) Eo enim tempore creditor est rei dominus ratione emptionis; adeoque fructus, quos percipit ad ipsum spectant.

(2) Ita expresse L. 9. ff. de *pignor: et hypothecis*, his verbis: *Quod emptionem, venditionemque accipit, etiam oppignorationem accipere potest.*

(3) *Omne enim*; ut in Levitico Cap. 27. v. 28. habetur, *quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit: quidquid fuerit semel consecratum, sanctum sanctorum erit Domino.* Idipsum prohibetur jure Civili: L. 41. C. *de Sacrosanctis Ecclesiis sancimus, nemini licere sacratissima, atque arcana vasa, vel ad venditionem, vel pignus trahere.*

(4) Sicuti enim, quod est alterius, vendi nequit, ita nec etiam in pignus dari. L. 20. 2. *de oppignoratitia actione.*

(5) C. L. unica de rei uxoriae actione.

(6) L. 1. ff. *quae res pignoris.*

(7) L. 1. C. *de praediis* etc.

(8) L. finali C. *Communia de Legalis.*

(9) L. 1. *Quae res obligari* etc.

Quae de Pignore, et Hypotheca pro hoc Neapol. Regno ulterius scienda sunt, consul. Codex Noviss. n. 1941, et seq. et a n. 2000. et seq.

Q. *Licet ne petere mutuum sub usura?*

R. Si adest justa causa, vel vera necessitas, et tunc licet; secus, non licet, quia cooperatur peccato alterius.

R. *Quomodo peccant Notarii, qui condunt Instrumenta usuraria?*

R. Si hoc faciunt rogati a mutuatariis, justa de causa, vel necessitate, et non peccant; sine justa causa, et necessitate, peccant mortaliter. Si vero hoc faciunt ad instantiam mutuantis, et dico peccare contra charitatem, ratione cooperationis, et contra Religionem, ratione juramenti praestiti de non condendo Instrumento usurario (1).

Q. *Qui promisit sub juramento, se soluturum usuras lucratorias, tenetur ne eas solvere?*

R. Tenetur; uti ex communi Theologorum sententia (2).

R. *Potest ne mutuator cogi ut remittat juramentum, et usurarum solutionem?*

---

(1) Atque idipsum quoque est dicendum de omnibus aliis, qui ad usurarum exactionem, et solutionem cooperantur, uti proxenetae, et Ministri omnes, qui ex Concilio Mediolanensi 1. Tit. de Usuris, etiam Ecclesisticis Censuris subjiciuntur. *Tabbelliones qui instrumenta confecerint, proxenetae, usurarum, aut libri participes, Ministrique omnes horum scelerum, et poenis a Jure statutis, et Ecclesiasticis censuris puniantur.*

(2) Et expresse habetur in Cap. *debitores 6. de jurejurando* his verbis: *Debitores ad solvendas usuras, in quibus se obligaverant cogi non debent. Si vero de ipsarum solutione juraverint, cogendi sunt, Domino reddere juramentum.*

R. Cogi potest (1).

Q. *At quid si mutuatarius juramento promiserit, se non repetiturum per usuram jam solutum?*

R. Etiam mutuans cogi potest ad acceptum per usuram restituendum (2).

CAPUT IX.

De obligatione Usurariorum, et de poenis contra ipsos statutis.

Q. *Ad quid tenentur Usurarii?*

R. Tenentur restituere accepta per veram usuram (3).

Q. *Sunt ne restituenda, quae per Usuram mentalem accepta sunt?*

R. Utique restituenda sunt.

Q. *Si Usurarius moritur, tenentur ne haeredes ejus solvere usuras ab ipso acceptas?*

R. Tenentur (4); et quidem, etiamsi non sint

---

(1) Uti legitur *in C. de jurejurando.* Ubi sic: *Mandamus, quatenus Creditores ad juramenta super usuris sibi praestitae relaxanda Ecclesiastica districtione cogatis.*

(2) Ita expresse in summario C. Tua, dudum 13. de usuris ubi sic: *Nam obstante juramento de non repetendis usuris per debitorem praestito, potest Judex ex Officio suo usurarium ad restituendas usuras compellere.*

(3) Ita communiter ex textu expresso in Cap. Consuluit de Usuris; ubi sic: *Hujusmodi homines pro intentione lucri, quam habent . . . . judicandi sunt male agere, et ad quae taliter sunt accepta, restituenda in animarum judicio efficaciter inducendi.*

(4) Ex textu expresso in Cap. *Tua nos 9. de Usuris* his verbis: *Respondemus, quod Filii ad re-*

illius haeredes, sed extranei (1); juxta tamen vires haereditatis.

Q. *Quibus tenentur haeredes hujusmodi restituere?*

R. Illis, quibus usurae extortae fuerunt, vel eorum haeredibus, et si non extant, pauperibus.

Q. *Quid si heredes sint pauperes?*

R. Ipsi excusantur a restitutione, donec pervenerint ad pinguiorem fortunam (2).

Q. *Datur ne casus, in quo Usurarius adquirit dominium rei per Usuram acceptae?*

R. Affirmative, et est quando res sunt usu consumptibiles, seu functionem recipientes, et ita commixtae fuerint cum rebus ipsius propriis, ut nullo modo discerni possint. Tunc enim per accidens; hoc est jure commixtionis, vel confusionis, aut specificationis, efficiuntur sua, cum obligatione tamen restituendi, seu compensandi in aequivalenti, ratione injustae acceptionis (3).

---

stituendas usuras, ea sunt districtione cogendi, qua parentes sui, si viverent, cogerentur. Idipsum etiam contra haeredes extraneos credimus exercendum.

(1) Ita communis argum. Cap. *in litteris* 5. de Raptoribus.

(2) Ex Cap. *Cum tu* 5. de Usuris, ubi expresse habetur: *Illi autem, qui non habent in facultatibus, unde usuras valeant restituere, non debent ulla poena mulctari, cum eos nota paupertas evidenter excuset.*

(3) Hinc qui rem mutuo acceptam, veluti pecuniam, frumentum, vinum etc. ita cum sua pecunia, vel vino, aut frumento miscuerit, ut res mutuata a re sua non poterit discerni, fit dominus pecuniae, vini, vel frumenti; at tenetur dare valorem monetae, vini, frumenti etc. Consul. P. Ferraris V. Usura n. 73. 74.

Q. *Quaenam sunt poenae contra Usurarios publicos, et notorios statutae?*

R. Sunt sequentes; et 1. Infames evadunt (1); 2. nequeunt ad Sacramentalem confessionem admitti (2); et multo minus ad Eucharistiae susceptionem (3); 3. Nequeunt a Sacris Ministris recipi oblationes ipsorum (4); 4. Prohibentur facere Testamentum (5); 5. Privantur sepultura Ecclesiastica (6); 6. Excommunicari debent usque dum non satisfecerint; et ipso facto irregulares evadunt (7).

Q. *In quam poenam incidunt Clerici, Usuram committentes?*

R. Si tales Clerici sunt notorii usurarii, incidunt in poenam privationis omnium officiorum, et dignitatum, quae obtinent; et inhabiles redduntur ad dignitates obtinendas (8).

Q. *In quam poenam incidunt Clerici si recipiunt Usurariorum oblationes?*

R. Incidunt in suspensionem ab officio, donec satisfaciant, ad arbitrium Episcopi (9).

---

(1) Ex Cap. *Infames* 2. §. Porro in f. caus. 3. q. 7.

(2) Uti Cap. *Quamquam* 2 de *Usuris in* 6.

(3) Textu expresso in Cap. Quia de omnibus 5. de Usuris; sic. *Constituimus, quod usurarii manifesti nec ad communionem admittantur Altaris.*

(4) Ex cit. Cap. *Quia in omnibus* 3. de Usuris *Sed nec oblationes eorum quisquam accipiat.*

(5) Cap. *Quamquam* 2. *de usuris in 6.*

(6) Cit. mox Cap.

(7) Cap. *Praeterea 7. de usuris.*

(8) Sunt namque jure infames; et infamibus portae non pateant dignitatibus; uti habetur in Capit., Infamibus 87. de Regula *Juris in* 6.

(9) Uti ex Cap. 5. Quia in omnibus etc.

Q. *Incidunt ne in aliquam poenam Clerici sive Regulares, sive saeculares, ac alii, qui notorios Usurarios in loco sacro sepeliunt?*

R. Incidunt in poenam suspensionis si, scienter, publicis Usurariis ecclesiasticam sepulturam concedunt (1). Et ex Concilio Lugdunensi (2), ipso facto incidunt in excommunicationem, a qua absolvi non possunt, nisi prius ad arbitrium Episcopi Dioecesani, competentem exhibuerint satisfactionem.

Q. *In quam poenam incidunt, qui locant domos publicis Usurariis exteris?*

R. Si tales sunt Clerici, incidunt in excommunicationem latae sententiae. Si sunt Episcopi incidunt in suspensionem; vel est Communitas, et incidit in interdictum (3).

Q. *In quam poenam incidunt Notarii, qui condunt Instrumenta usuraria ex parte usurarii; Judices, qui compellunt ad usuras solvendas, vel impediunt earum restitutionem; nec non omnes illi Officiales, qui favent, vel cooperantur usuris?*

R. Incidunt in excommunicationem latae sententiae (4).

CAPUT X.

De Testamento, ~~*Codicillo, Legato, et Fideicommisso.*~~

Q. *Quid est Testamentum?*

R. *Testamentum*, communiter, et uti definitur a Modestio (5), *est voluntatis nostrae justa sententia*

---

(1) Ex eod. Cap. 5. cit.
(2) Relato in Clementina 1. de Sepultura.
(3) Ex Cap. 1. de usuris in 6.
(4) Ita ex Clementina Unica *ex gravi de Usuris.*
(5) Lib. 1. D. *De Testam. ord.*

de eo, quod quis post mortem suam fieri vult (1).

Q. *Quotuplex est Testamentum?*

R. Testamentum duplex est, *solemne* nempe, et *non solemne*, seu *privilegiatum*. Primum est illud, quod habet omnes solemnitates a jure praescriptas; Secundum vero, quod, licet talibus careat solemnitatibus, ex speciali tamen privilegio, valet (2).

Q. *Quotuplex est Testamentum solemne?*

R. Duplex; nempe *Scriptum*, et *Nuncupativum*. Primum est illud, quod fit scripto, servata juris forma; Secundum vero est illud, quod fit sine scripto, sed viva voce; veluti cum Testator coram requisitis testibus, haeredem oretenus nominat, seu nuncupat, atque declarat, quid de bonis suis, post mortem fieri velit.

Q. *Quaenam requiruntur, ut Testamentum in scriptis valeat?*

R. De jure communi (3) haec requiruntur; 1. Institutio haeredis; 2. Septem testes, et si Testator subscribere nequit, etiam octavus; 3. Ut testes sint legitimi, nec impediti a jure, rogati, hoc est certiores efferti quare sint vocati; 5. subscriptio, et subsignatio; 6. Unitas contextus; 7. Ut testes sint et

---

(1) Secundum vero Codicem novissimum n. 815. » Il testamento è un atto col quale il testatore di» spone, pel tempo, in cui avrà cessato di vivere, » di tutti, o di parte de' suoi beni, e che ha la fa» coltà di rivocare ».

(2) Juxta dictum Cod. vero, triplex est; nempe 1. *Holographum*; quod scilicet totum manu testatoris scriptum est; 2. *per actum publicum*; seu *apertum*; et 3. *Mysticum*, seu *clausum*. Vid. n. 894. et seq.

(3) Consul. P. Ferraris V. *Testam.* art. 1. n. 9 et seq.

simul praesentes, et ut ipsum Testatorem videant, et audiant (1).

Q. *Dantur ne Testamenta, quae licet non habeant praedictas solemnitates, adhuc valent?*

R. Dantur, et sunt quae sequuntur; scilicet 1. Testamentum ad pias causas; 2. Testamentum factum a Patre, vel matre, vel alio ascendente inter liberos; 3. Testamentum factum coram Supremo principe; 4. Testamentum factum a milite dum in bellica expeditione versatur; 5. Testamentum factum tempore pestis; et 5. juxta Codicem novissimum (2), Testamentum olographum.

Q. *Obligat ne saltem in faro conscientiae, testamentum factum sine aliquibus solemnitatibus a Jure Civili praescriptis?*

R. Disputant inter se Theologi (3).

Q. *Quinam possunt Testamentum facere?*

R. Omnes illi, qui habent dominium, et admi-

---

(1) De iure vero Neapol. Vid. Cod. Noviss. a n. 894. et sequent.

(2) Ita expresse n. 895. « Il testamento olografo » non è valido se non è scritto interamente, datato, e » sottoscritto di propria mano dal testatore; questo te- » stamento non è soggetto ad alcun altra formalità »

(3) P. Lucius Ferraris V. Testamentum, 1. n. 57. expensis Doctorum opinionibus, ita concludit: « Quod » testamentum sine debitis solemnitatibus conditum ante » sententiam judicis, et quando nempe se opponit, » ita validum esse in foro interno, seu conscientiae, » ut haeredes, et legatarii in eo constituti, tuta con- » scientia accipere, et retinere possint haereditatem, » et legata sibi in tali testamento relicta. Post senten- » tiam vero Iudicis etiam in foro interno est ita nul- » lum, ut ipsi tota conscientia nihil accipere possint, » et si quid acceperint, id totum restituere teneantur.

nistrationem rerum suarum, nec sunt a Lege impediti (1).

Q. *Quinam a Jure prohibentur testari?*

R. Hi qui sequuntur; nempe 1. carentes usu rationis (2); 2. Amentes et furiosi (3); 3. Servi (4); 4. Muti, et surdi a nativitate (5); 5. Morte damnati (6); 6. damnati ob libellum famosum (7); 7. Rei laesae Majestatis (8) 8. Captivi, obsides apud hostes (9); 9. Impuberes (10); 10. Prodigi 11.

---

(1) Ita communiter Doctores. Et expresse statuitur in Cod. Noviss. n. 892. his verbis: « Qualunque per» sona può disporre per testamento, tanto a titolo di » istituzione di erede, quanto a titolo di legato, o » con qualsivogiia altra determinazione atta a mani» festare la sua volontà.

(2) Nam facere Testamentum est actus humanus, et quidem magni momenti. jure itaque naturae fieri non potest ab eo, qui usum rationis non habet.

(3) L. *Furiosum* C. Testamentum facere non possunt; et Cod. Noviss. n. 817. « Perchè taluno possa » far donazione tra vivi, o testamento, è necessario » che sia sano di mente ». Quae quoad hoc dilucidanda forent, vid. apud P. L. Ferraris V. Testamentum Art. III. n. 3. et seq.

(4) L. 3. D. *Qui facere* etc. Verum servi hujusmodi non amplius in Europa existunt.

(5) L. discretis C. *Qui testam* etc. Ex Cod. autem novis-. n. 905. Muti si possunt scribere, possunt testamentum mysticum conficere; sub quibusdam tamen conditionibus.

(6) L. *Cui is* §. 1. D. ut sup.

(7) Textu expresso l. *Ob carnem* 21. §. *de testibus*.

(8) L. 8. D ib.

(9) L. 4. et 5. *de haereticis*.

(10) §. Instit. *Quibus non est permiss.*

Usurarii publici, et manifesti, nisi prius satisfecerint usuris, vel cautionem idoneam praestiterint (1) 12. Monachi professi (2); 13. Clerici de bonis sui beneficii, atque redditibus (3).; 14. filii familias impuberes (4); Mulieres tandem, quae a parentibus, aliisque dotatae sunt ea conditione, ut si filios non habeant, dos ad dotantes redeat, nequeunt de tali dote testari (5).

Q. *Quinam esse possunt testes in Testamentis?*

R. Omnes illi qui sunt puberes, sani mente, liberi, integrae opinionis, et famae; nec sint caeci, surdi, vel muti a nativitate; nec jure impediti (6).

Q. *Potest ne revocari testamentum?*

R. Affirmative, ante mortem testatoris. Testator enim quamdiu vivit, est dominus rei suae, et semper liber est disponendi de illa, prout vult (7).

---

(1) C. *Quamcumque de usuris in* 6.

(2) Ipsi enim dominium in particulari non habent. Vid. P. Ferr. laud. ibid. n. 33. et seq.

(3) Auth. *Ingressi* C. de Sacros. Eccl.

(4) Cap. 9. de testam. Consul. cit. P. Ferrar. ib. n. 26. et seq.

(5) Ita ex Jure communi. At Jure noviss. Regni Neapol. 819. nec etiam puberes usque dum non expleverint annum 15. et incaepto anno 16. possunt tantum disponere de medietate bonorum, quorum, a jure, majoribus permittitur dispositio n. 820.

(6) Ex Codice autem noviss. possunt testamentum conficere de dote a parentibus profecta. Buonoc. de Testam. §. IX. n. VII.

(7) Ex Codice novissimo n. 906. I testimonj ri-
» chiesti per fer testimonianze nel testamento debbono
» esser maschi, maggiori di età, sudditi del Rè, e che
» godano de' dritti Civili.

(8) *Testamentum enim*, ajebat D. Paulus Haebreos. IX. v. 12. *in mortuis Confirmatum est.*

Q. *Quomodo revocari potest Testamentum?*

R. Revocari potest 1. per factum contrarium, puta immutando, corrigendo, vel lacerando testamentum, etc.; 2. per aliud subsequens testamentum, valide tamen, et legitime conditum (1).

Q. *Quinam possunt institui haeredes?*

R. Possunt filii, et ascendentes in quocumque gradu ipsi sint. Si testator non habet filios, atque descendentes, tunc institui possunt haeredes ascendentes, in quacumque sint linea. Et si testator moriens non relinquit superstites neque descendentes, neque ascendentes, tunc de omnibus bonis suis poterit pro labitu testare in favorem aliorum (2), modo non sint a jure impediti.

Q. *Quinam titulo gratuito sunt jure Civili impediti ad haereditatem obtinendam?*

R. Sunt qui sequuntur; scilicet Haeretici, Apostatas a fide; probati interfectores Testatoris; Hostes Civitatis; Medici, Pharmacopolae, Officiales sanitatis; Doctores consulentes Testamentum, et Sacerdotes in ultima infirmitate adhibiti. Item filii illegitimi, qui tamen habent jus ad alimenta (3). Tutores, qui nondum dederint rationem gestae tutelae.

Q. *Dantur ne causae, ob quas filius potest a patre exhaeredari?*

R. Affirmative, et sunt sequentes; nempe 1. si filius, patri alimenta negaverit; 2. Si patrem furiosum neglexerit; Si captivum non curaverit; et rogatus pro fidejussione, recusavit se praestare pro patre. Si contradicente patre, filia meretricium exercuerit (4);

---

(1) Consul. Cod. noviss. n. 990. et seq.

(2) Ita praecipue ex Cod. noviss. num. 829. et sequent.

(3) Vid. Cod. cit. n. 825.

(4) Consul. Cod. noviss. n. 849.

4. Si parentes occidere tentaverit, vel verberibus graviter offenderit. Si apostataverit a fide; 6. Si uxorem patris sui carnaliter cognoverit.

Q. *Quandonam filius potest patrem exhaeredare?*

R. In sequentibus casibus; scilicet 1. quando pater tradit filium morti; 2. quando impedivit filium a conficiendo testamento, in casibus, in quibus filius poterat testari; 3. quando pater dedit venenum matri ad illam interficiendam (1).

Q. *Quinam esse possunt exequutores testamentarii?*

R. 1. Exequutores testamentarii sunt illi, qui vel ex dispositione Legis, vel Testatoris, vel Judicis exequuntur defuncti voluntatem.

R. 2. Ipsi jure communi, eligi possunt, et deputari sive ex haeredibus, sive ex extraneis, sive, Clericis, sive laicis, sive viris, sive mulieribus (2).

Q. *Possunt ne Religiosi professi esse executores testamentarii?*

R. Possunt, sed de licentia, et consensu proprii superioris (3); Exceptis tamen Religiosis Ordinis Minorum (4).

---

(1) Ita ex Cod. noviss. n· 850.

(2) Ex Cod. autem novissimo n. 983. Qui non potest se obligare, non potest eligi executor testamentarius. Hinc neque minor talis esse potest, etiam cum consensu sui tutoris n. 894. et num. 984. Mulier si est uxorata non potest, sine licentia sui viri, esse executrix testamentaria.

(3) Ex Clementina *Religionis de Testamento*, dummodo tamen non habeant peculiares Constitutiones, quae eis prohibeant.

(4) In Clementina *Exivi* apud L. Ferraris V. *Testamentum* Art. III. n. 57. Possunt tamen hujusmodi Religiosi dare consilium executoribus a Testatore deputatis, et ex commissione Testatoris nominare unum, vel plures executores.

CAPUT XI.

De Legato, Codicillo, Fideicommisso, et Mandato.

Q. *Quid est Legatum?*

R. *Est quaedam donatio a defuncte relicta, et ab haerede praestanda* (1).

Q. *Quotuplex est Legatum?*

R. Legatum multiplex est; nempe 1. *prophanum, et sacrum*; 2. *purum, et conditionatum*; 3. *in diem, et sub modo*; 4. *Sub causa, et sub demonstratione.*

Q. *Quid est Legatum prophanum, et quid sacrum?*

R. Legatum prophanum est illud, quod fit ad usus prophanos, sacrum vero, quod ad usus sacros.

Q. *Quale Legatum dicitur purum, et quale conditionatum?*

R. Legatum purum est illud, quod fit simpliciter, et sine ullo adjecto tempore, vel conditione, aut modo; conditionatum vero, quod fit sub aliqua conditione de praesenti, vel praeterito, vel futuro.

Q. *Quodnam est Legatum in diem, et quodnam legatum sub modo?*

R. Legatum in diem est illud, quod fit et relinquitur exequendum certo determinato tempore, vel die post mortem testatoris; legatum vero sub modo est illud, quod fit et relinquitur cum certo aliquo modo, onere vel gravamine.

---

(1) Qui legatum accipit dicitur *legatarius*, qui nequit esse etiam haeres: adeo ut cesset in eo legatum statim ac fit haeres universalis. Vid. P. Ferraris V. Legatum n. 1. et seq.

Q. *Quomodo distribui debet legatum pauperibus in genere relictum?*

R. Debet prae caeteris distribui pauperibus patriae testatoris, in qua domicilium habebat; atque inter eos magis, et prius succurrendum est pauperibus plus indigentibus; et si pauperes sint testatoris consanguinei, ipsi aliis praeferri debent, et quidem servato charitatis ordine (1).

Q. *Potest ne quis tale legatum relictum pauperibus in genere, distribuere suis parentibus, et conjunctis pauperibus?*

R. Affirmative; dummodo tamen tales conjuncti sint vere pauperes, qui eleemosyna indigent pro substentatione.

Q. *Potest ne legati executor sibi applicare legatum relictum pro pauperibus in genere, vel ad pias causas?*

R. Si talis executor est vere pauper, et id ignoraverit testator, potest (2); secus non potest.

Q. *Quibus pauperibus distribui debet Legatum?*

R. Illis, qui in vera inculpabili necessitate, atque indigentia reperiuntur, non vero malis, et otiosis pauperibus, qui cum possent laborando, sibi ad victum, vestitum, etc. necessaria comparare, volunt potius otiosam vitam ducere, vitiis indulgere, et interim rebus aliorum substentari, cum verorum pauperum damno, et aliorum scandalo (3).

---

(1) Consul. laud. P. Ferraris n. 47. et seq.

(2) P. Ferr. cit. n. 59, et seq.

(3) Melius namque, ait S. Augustinus Epist. 84 ad Vincentium Donatistam, *esurienti panis tollitur, si de cibo securus, justitiam negligit, quam esurienti panis frangitur si injustitia seductus acquiescat.*

Q. *Potest ne Religiosus executor legati ad pias causus in genere facti, illud suo Monasterio applicare?*

R. Affirmative; quia semper mens testatoris adimpletur. Idipsum dicendum de Clerico, relate ad suam Ecclesiam.

Q. *Si legatum est relictum pro dotandis puellis virginibus, potest ne dari virgini etiam corruptae?*

R. Si virginis corruptio publice constat, non potest dari, quia esset contra voluntatem testatoris; si vero est secreta, potest, quia in publica extimatione habetur uti virgo.

Q. *Potest ne talis virgo, clam corrupta, petere ut sibi detur tale legatum?*

R. Si desunt aliae Virgines, potest; secus non potest, quia esset contra finem testatoris volentis subvenire veris virginibus (1).

Q. *Legatum factum puellae sub conditione, si non nubat cum tali, debetur ne illi, etiamsi cum tali nubat?*

R. Non debetur; nam apposita conditio non opponitur celebrationi Matrimonii, cum possit illa cuilibet alio nubere.

Q. *Quid si legatum fuit relictum puellae, ut cum tali Matrimonium contrahat, et illa contrahit cum alio?*

R. Si per ipsam non stetit, quod illi non nupsit, vel quia talis persona designata nolit ipsi nubere, vel sit inhonesta, aut cum eo contrahere Matrimonium non possit, ei debetur legatum; secus vero non.

Q. *Si quis reliquit puellae legatum sub conditione, si nupserit, et filios procreaverit, est ne dandum puellae tale legatum si Religionem ingrediatur?*

---

(1) Vid. S. Alph. de Ligorio Lib. III. Tract. V. Cap. IV. de Testamentis.

R. Affirmative; quia in hoc casu talis conditio est tanquam non apposita (1).

Q. *Debetur ne puellae legatum ipsi factum sub conditione numquam nubendi, si ipsa nubat?*

R. Affirmative (2). Multum namque interest Reipublicae, ut proles augeatur.

Q. *Potest ne etiam extraneis dari legatum, quod fuit relictum pro solis naturalibus alicujus loci?*

R. Si extranei adquisiverunt domicilium in eo loco, vel ibi fixerunt domicilium, animo perpetuo remanendi, potest, quia habentur uti naturales; secus vero, non.

Q. *Potest ne aliquis derogare Testamentis, et Legatis?*

R. Privata auctoritate, et sine justa causa non potest; auctoritate vero publica, et stante justa causa, potest derogare (3).

Q. *Quid est Codicillus?*

R. *Codicillus est ultimae voluntatis dispositio minus solemnis, quae inservit ad aliquid addendum, minuendum, explicandum, mutandum in testamento, nec non ad relinquenda fideicomissa, et legata* (4).

Q. *Quid est Fideicommissum, et quotuplex?*

R. 1. Fideicommissum est ultimae voluntatis dispo-

---

(1) In l. *Quoties* 22. *ff. de cond. et demonst.*

(2) Ita expresse C. *Si quis sub conditione* 37. his verbis: *Sancimus si personae totalibus conditionibus subjectae sive masculi, sive feminae Monasteria ingrediantur, aut Clerici fiant, tales conditiones invalidas, aut pro non scriptas esse.*

(3) Consul. S. Alphonsus de Ligorio loco cit. n. 931.

(4) A Cod. noviss. Codicillorum jus est omnino abolitum.

sitio, qua, fidei haeredis, a testatore aliquid committitur, alteri dandum.

R. 2. Fideicommissum duplex est; nempe universale, seu generale, et particulare, seu singulare. Primum est illud, in quo tota haereditas alicui committitur, alteri danda; secundum vero, in quo pars tantum haereditatis, alteri danda committitur.

Q. *Potest ne qui suscipit Fideicommissum pro lubitu disponere de re sibi fideicommissa?*

R. Non potest, quia non est dominus illius, sed illam debet tradere personae a testatore designatae (1).

---

(1) Atque haec de Testamentis et iis, quae ad illa spectant, dixisse, imo innuisse, sufficiat. Meo namque videri, haec materia proprie Notariorum est, atque Advocatorum. Unde melius est si Confessarii non immisceantur, quoties agitur de Testamentis. Res namque periculis plena est, et multorum malorum caussa. Hinc rogati a poenitentibus ut in conficiendo Testamento consilium, et lumen praebeant, contenti sint, haec illis consulere. 1. Ut videant si bona, de quibus testari volunt, sint propria, et sub libera ipsorum administratione, ne disponant de rebus non suis. 2. Ut Deum prae oculis habeant; sintque omni pravo affectu spoliati, et secundum Leges, testamentum conficiant, ne post mortem oriantur lites, odia, inimicitiae cum damno animarum, et corporum, et voluntates ipsorum defraudentur; relinquantque sibi post mortem maledictionem pro benedictione; 3. ut pro testamento rite faciendo consulant Advocatos Legis peritos, et Tabellarios, sive Notarios optimae famae, integros, et suo munere rite fungentes; ut omnia ad Juris, justitiaeque praescriptum, atque Dei beneplacitum, et honorem fiant.

Quod si velit quis, plura scire de hac materia ad sui instructionem, et aliorum utilitatem, consulere poterit Auctores, qui de ea agunt; praesertim P. Lucium

Q. *Quid est mandatum?*

R. *Mandatum est obligatio aliquid gratis agendi in commodum alterius* (1).

Q. *Quaenam sunt mandantis officia?*

R. Sunt quae sequuntur; et 1. mandans tenetur subministrare mandatario, quae necessaria sunt ad exequendum mandatum; et expensas pro mandati exequutione factas; 2. tenetur ratum habere, quod bona fide, et prudenter a mandatario factum est; id enim exigunt aequitas, et justitia (2).

Q. *Quaenam sunt Mandatarii officia?*

R. Sunt haec; nempe 1. susceptum negotium sibi commissum diligenter, et utiliter gerere; 2. tenetur ad omnia damna, si quae sua culpa evenerunt ob non impletum mandatum; 3. Non potest mandati accepti excedere fines; 4. tenetur illud coeptum perficere; et 6. mercedem ex opera sua non exigere, aut occulte compensare (3).

Q. *Debetur ne merces mandatario, si ille animum habuit, nonnisi mercede, mandatum exequi?*

R. Si id innotuit mandanti, et mandans consensit, debetur; si vero non innotuit, non debetur; dummodo tamen mandans potuisset alium substituere, qui mandatum gratis exequeretur.

Q. *Ex quanam culpa tenetur mandatarius?*

R. Quoties mandatum gratis suscepit exequi, te-

Ferraris, Concina, S. Alphonsum de Ligorio, Besombes, Buonocore, aliosque: Et praecipue pro Regno Utriusque Siciliae, Codicem novissimum.

(1) Qui mandat dicitur *mandans*; *mandatarius* vero qui mandatum exequitur.

(2) Vid. Cod. noviss. n. 1870.

(3) Haec jure communi; ex Cod. autem novissimo quaedam alia ad rem opportuna, et utilia praescribuntur n. 1864. et seq.

netur de dolo, et culpa lata; Si vero vel mercedem accepit, vel sponte se obtulit, cum diligentior alius praesto erat, tenetur sub culpa levi, et etiam de levissima si negotium est grave, et se illud exequuturum promisit maxima cautione, atque diligentia.

Q. *Quando expirat mandatum?*

R. Sequentibus in circumstantiis; nempe 1. revocatione mandantis, re adhuc integra existente; 2. morte mandantis; 3. morte mandatarii, etiamsi res non sit integra, si persona industria specialiter electa erat; 4. Si transactum sit tempus mandati; 5. si rerum status mutatur (1).

CAPUT XII.

De Contractibus onerosis; et primo de Emptione, et Venditione.

Q. *Quid est Emptio, quid Venditio?*

R. *Emptio est pactio pretii pro merce. Venditio* ets *pactio mercis pro pretio* (2).

Q. *Quid venit nomine mercis, et pretii?*

R. Nomine mercis venit quaelibet res pretio aestimabilis, sive sit mobilis, sive immobilis; sive sit actio, sive jus, sive officium (3). Nomine vero pretii solus nummus, seu pecunia numerata (4).

---

(1) Pro regno Siciliar. consul. Cod. noviss. Tit. XIV. de Mandato, art. 1875. et seq.

(2) Ita l. 1. *de contrahenda emptione*. Ex Cod. noviss. art. 1427 ita: « La vendita è una convenzio» ne colla quale si obbliga una cosa; e l' altro a pa» garne il prezzo.

(3) L. *Si in emptione* §. *Omnium* ff. ut sup.

(4) §. 2. *Inst. de emptione, et venditione*: his verbis: *Pretium in numerata pecunia consistere debet.*

Q. *Quid requiritur ad valorem hujus contractus?*
R. Requiritur 1. *Merx* determinata; 2. pretium determinatum ; et 3. mutuus consensus.
Q. *Quotupliciter potest merx determinari?*
R. Determinari potest, vel in *spe*, vel *in re*; determinatur in spe, quando res pendet a futuro eventu ; uti vendo tibi jactum retis ad capiendos pisces; determinatur vero *in re*, quando res actu existit; veluti : vendo tibi pisces jam captos.
Q. *Merx in specie potest ne ulterius determinari?*
R. Affirmative ; nempe *in genere*, et *in specie*. In *genere*, veluti cum quis diceret, vendo tibi decem oves de meo grege; In *specie*, potest iterum dupliciter determinari, nempe *in individuo*, *quoad corpus*, et *quoad mensuram*. In individuo, uti si quis diceret, vendo tibi has decem oves; quoad corpus, uti, vendo tibi acervum tritici centum aureis ; quoad mensuram, uti vendo tibi totum hoc tritici acervum duobus carolenis pro qualibet mensura.
Q. *Quomodo perficitur contractus emptionis et venditionis?*
R. Jure communi perficitur mutuo consensu, determinatione rei, et pretii ; tandem completur traditione (1). Jure vero Neapolitano, juxta Codicem novissimum, perficitur statim facta de re conventione, et pretio, licet res non sit tradita, neque pretium solutum (2).

---

(1) Nam ut jura loquuntur *l.* 20. *Cop. de pactis Traditionibus dominia rerum, non nutis pactis transferuntur*.

(2) En verba art. 1458. « È perfetta fra le parti, » e la proprietà si acquista di diritto del compratore » riguardo al venditore, appena che si è convenuto

Q. *Si res vendita, et nondum tradita, casu fortuito perit, aut deterior evadit, cui perit, emptori, aut venditori?*

R. Si res vendita fuit determinata in genere, perit venditori; genus enim numquam perit; (1). Si res vendita fuit determinata in individuo, vel quoad corpus, et perit emptori (2). Si vero res vendita, fuit determinata quoad mensuram, et perit venditori (3), usque dum non mensuretur.

Q. *Cui res perit si venditor fuit in mora illam tradendi; vel emptor in mora illam recipiendi?*

R. Si mora fuit culpabilis ex parte venditoris, perit venditori; si fuit ex parte emptoris, perit emptori. Si vero res aeque periisset tam si fuisset in manu emptoris, quam si permansisset in manu venditoris, ad nihil tenetur venditor (4).

Q. *Quid dicendum si res non fuit vendita, sed tantum facta fuit promissio illam vendendi?*

» della cosa, e del prezzo, quantunque non sia seguita » ancora la tradizione della cosa, nè sia pagato il » prezzo.

(1) Ita ex l. 35. *Quod saepe* D. 8. tit. 8. de contra. empt.

(2) L. 1. C. 1. 4. tit. 48 de *peric. et comm. rei vend.* Et ratio est, ex Cod. noviss. art 1428 quia post perfectam venditionem, emptor est dominus rei: Unde si res perit, emptori perit. Vid. Ferraris V. Emptio Art. III. n. 20. et seq.

(3) Nam talis venditio, ex laudato Codice art. 1820 non censetur omnino perfecta, et completa, sed quasi conditionata; adeoque usque dum res non mensuretur, ponderetur, aut numeretur, sub dominio est vendisoris; et consequenter etc.

(4) Vid Ferraris art. VI. n. 13. et seq. Cod. nov. art. 1092.

R. Si existit reciprocus consensus partium, venditoris nempe, atque emptoris, super rem, et pretium ejus, talis promissio aequivalet venditae (1).

Q. *Si promissio vendendi facta est cum arrha, possunt ne contrahentes resilire a contractu*?

R. Possunt libere a contractu recedere; hoc tamen pacto, quod si recedit, qui eam dedit, illam amittit; si vero qui eam recepit, tenetur duplum restituere (2).

Q. *Ad quem spectant fructus rei venditae*?

R. De jure communi, quaestio est inter Doctores; at probabilius existimatur, ad emptorem spectare. Verum hodie, cum per Codicem novissimum (3), emptor evadat dominus rei venditae, licet nondum traditae, illius fructus certo sunt emptoris.

Q. *Si res vendita in genere, vel quoad mensuram, milioretur, cui melioratur?*

R. Melioratur emptori (4).

Q. *Quinam vendere possunt*?

R. Omnes qui possunt contractus celebrare; vel illi, quibus non est a Lege prohibitum (5).

Q. *Quaenam res vendi possunt, quaenam vero non*?

R. Vendi possunt res omnes, quae sunt in commercio sive mobiles, sive immobiles (6); item jura

---

(1) Ita expresse ex laud. Cod. art. 1334. « La » promessa di vendere equivale alla vendita, quando » esiste il consenso reciproco delle parti sulla cosa, e » sul prezzo.

(2) Ex cod. art. 1435.

(3) Art. 1428. superius jam cit.

(4) Vid. Buonoc. Tomo 1. pag. 274.

(5) Ita expresse ex Cod. noviss. art. 1439.

(6) Ita expresse in l. *Si emptione* 34. §. 1. *de contract. empt. Omnium rerum, quas quis habere vel*

actiones, credita, debita (1), chirographa, etc.; et quidem, etiam debitore ignorante, vel invito (2), dummodo a Lege non probibeantur. Nequeunt autem vendi res mere spirituales, aut spiritualibus adnexae, quia esset simonia. Item res sacrae, sive sacratae, quia tales. Bona mobilia pretiosa, vel immobilia Ecclesiae. Homo liber. Arma, equi, lignamina, funes, et alia hujusmodi vendi non possunt, et deferri ad Turcas, Saracenos, aliosque Christiani nominis hostes (3). Insuper vendi non possunt Officia publica temporalia, ut Praefecti, Cancellarii, Consiliarii, Judicis, Scribae, Tabellionis, etc. (4). Vendi, non potest haereditas

---

prosequi potest, venditio recte fit. Quas vero natura vel Gentium jus, vel mores Civitatis commercio exuerunt, earum nulla venditio est. Ita pariter ex Cod. novissim. art. 1446. et seq.

(1) Id autem intelligendum est, dummodo tamen nomina, seu jura, credita, debita etc. sint certa, atque liquida, et nondum liti subjecta. Ita *l. lite pendente* 2. etc.

(2) Textu expresso in l. nominis 3. C. de haeredit. *vel actione vendit.* his verbis: *Nominis venditio, etiam ignorante et invito eo, adversus quem actiones mandantur, contrahi solet.*

(3) Uti ex Bulla Conae §. 7.

(4) Ita ex Novella 7. Cap. 7. l. *Nemo*, et ex aliis. Et ratio est, ait P. Ferraris V. *Emptio* n. 38. » quia hujusmodi venditio, et emptio solet esse Rei» publicae perniciosissima, cum sic ad Officia applicen» tur non qui idonei, et digni, sed ditiores plus of» ferentes, quamvis aliunde inepti, et incapaces exi» stant, qui una semel quod Officium per pecuniam » sunt adepti, omnibus modis, per fas, et nephas, stu» dent pretium expressum recuperare, quotidie justi» tiam sui Officii violantes ». Verum pro hac re standum est consuetudini locorum legitime introductae.

personae viventis, etiamsi ipsa consentiat (1).

Q. *Possunt ne aliquando talia Officia publica temporalia licite vendi, vel emi?*

R. Possunt cum sequentibus tamen conditionibus. 1. Ut vendens habeat auctoritatem; 2. Ut talia officia vendantur subjecto vere digno; 3. Ut non vendantur pretio tam eccessivo, ut necesse sit, emptorem abuti officio, ut pretium solutum pro eo obtinendo sibi compenset; 4. Ut fiat ob Reipublicae necessitatem, cui aliter non possit bene consuli; 5. tandem, ut dicti Officiales, suis temporibus examinentur, et visitentur, ut constet an recte sua officia exerceant (2).

Q. *Potest ne quis compelli ad venditionem rei suae?*

R. Minime, et si quis compelleret, graviter peccaret, quia gravem injuriam inferret.

Q. *Dantur ne casus, in quibus potest ad id obligari?*

R. Dantur, et sunt 1. publica necessitas, vel inopia (3); 2. bonum publicum, aut favor Religionis (4); 3. nimia, et obstinata saevities domini alicujus loci (5).

---

(1) Ex Cod. noviss. art. 1445.

(2) Haec autem intelligenda sunt de Officiis publicis, temporalibus, excepto tamen Officio Judicis, quod nullimode vendi potest.

(3) Hinc si adest in Civitate inopia frumenti, aliorumque vectigalium, ut publicae necessitati succurratur, possunt Cives a Magistratu cogi ad vendendum justo pretio, quae necessaria sunt. Ita ex Arg. Leg. 1. *Omnia omnino tit.* 12. *de Officio praefecti.* §. 11. Et ex Cod. noviss. art. 470.

(4) Nam juxta Reg. Juris 14. in 6. *Qui prior est tempore potior est in jure.*

(5) Quapropter si fundus v. g. alicujus personae

Q. *Cuinam debetur res duobus vendita?*

R. Si res vendita neutri adhuc est tradita, debetur primo emptori *(1)*; si vero est res uni solum vendita, alteri vendita et tradita, tunc si res est immobilis, et tunc debetur etiam primo emptori, dummodo ipse probet contractum (2). Si autem res vendita est mobilis, et tunc debetur illi, cui facta est traditio; licet sit posterior, dummodo tamen primae venditionis inscius, illam bona fide emerit (3).

CAPUT XIII.

De obligationibus Venditorum.

Q. *Ad quid tenetur Venditor?*

R. Venditor tenetur 1. rem justo pretio vendere; 2. clare explicare id, ad quod se obligat; 3. rem venditam emptori tradere; et 4. rem, quam vendit tutari (4).

Q. *Quid sibi vult vendere rem justo pretio?*

R. Significat, venditorem debere rem vendere pre-

---

privatae est necessarius ad constructionem, vel ampliationem Civitatis, Arcis, Viae publicae, Principis Palatii, Templi, Monasterii, Collegii, Hospitalis etc. cogi potest ad illum vendendum. Arg. Legis 14. *Si locus* §. *ff. Cum quemadmodum servitus amittatur.*

(1) Unde si quis habens loci alicujus dominium, nimis saeve subditos tractet; si monitus, a saeviendo non desistet, potest a Magistratu compelli ad vendendum dominium, vel omnino jurisdictione privari. Arg. Leg. II. *Si quis ordinaria C. t. 5. tit. 2. Si quacumque praeditus potestate.*

(2) Ita expresse in Cod. noviss. Art. 2081.

(3) Ex cit. Cod. art. 1095.

(4) Ex Cod. noviss. n. 1449.

tio, quod exaequet valorem illius, non quidem in genere entis, sed in genere moris; scilicet in ordine ad usum, et utilitatem, quam res vendita hominibus affert.

Q. *Quotuplex est pretium rerum?*

R. Duplex est; scilicet *legitimum*, sive *legale*, et *vulgare*, sive *naturale*. Legitimum est illud, quod a lege publica taxatur; seu decreto Principis, vel Magisratus, pro communi totius Reipublicae bono, constituitur; vulgare autem est illud, quod communi hominum extimatione prudenter taxatur, inspecta non solum rei natura, sed etiam ejusdem necessitate, utilitate, abundantia, penuria, et ipsa hominum ratione.

Q. *Quotuplex est pretium vulgare?*

R. Triplex est; *Supremum* nempe, seu *rigorosum*; *medium*, seu *moderatum*, et *infimum*, sive *pium*. Primum est illud; quod vendens non potest, sine injustitia, excedere. Secundum est illud, quod vendens potest augere usque ad pretium supremum, et emptor diminuere usque ad pretium infimum. Tertium vero est illud, infra quod emptor juste emere nequit.

Q. *Peccant ne venditores, qui vendendo, excedunt pretium supremum; et emptores, qui emunt infra pretium infimum?*

R. Si excessus est notabilis, utique peccant, et ad aequalitatem restituendum, in conscientia, obligantur (1).

Q. *Potest ne licite augeri pretium vulgare?*

---

(1) Ita communiter Doctores; inter quos, et ipse S. Augustinus, qui Lib. III. de Trinit. C. 3. inquit; *Velle vili emere, et caro vendere, utrumque vitium est etc.*

R. Affirmative; et quidem quatruplici ex causa; nempe 1. ex multitudine emptorum; 2. ex abbundantia pecuniae; 3. ex mercium caritate; 4. ex caritate venditorum; 5. ratione lucri cessantis, vel damni emergentis; 6. ratione specialis affectus venditoris ad rem; 7. ratione periculi faciendi expensas in exigendo postea pretio; 8. ratione periculi perdendi pretium sive ex toto, sive ex parte.

Q. *Quomodo obligat pretium legale, seu legitimum?*

R. Obligat in utroque foro, ita ut illud malitiose transgredientes, peccent contra justitiam, et ad restitutionem teneantur (1).

Q. *At quid, si constet, pretium legale injuste, indebite, atque irrationabiliter fuisse taxatum?*

R. Tunc, in foro conscientiae, videtur posse illud non observari. Ut enim Lex obliget in conscientia, debet esse justa, honesta, et conveniens (2).

Q. *Tenetur ne venditor manifestare emptori vi-*

---

(1) Nam quod juste, et rationabiliter a Regibus, et Magistratibus, legitimo jure, constitutum est, debet observari in conscientia, juxta illud Apostoli Rom. XIII. n. 6. *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed propter conscientiam.*

(2) Ita expresse in *Cap. Erat autem lex 2. dist. 4.* Hinc infertur, ait P. L. Ferraris V. *Emptio* art. » 1. n. 23. quod si Magistratus, vel ab eo deputati, ex » odio, vel passione, aut muneribus corrupti, vel er» rore, seu ignorantia seducti, pretium rerum injuste » determinent, ut si Pistoribus, v. g. taxetur pondus » panis non secundum proportionem valoris tritici, aut » si lex jubeat, ut frumentum, superveniente sterili» tate, eodem pretio vendatur cum esset frumenti co» pia, et hujusmodi, tunc potest taxa, tuta conscien» tia transgredi, et reduci ad aequalitatem cum va» lore mercis ».

tium rei, quam ipse vendit?

R. Si rei vitium est manifestum, et patens, ut ab emptore videatur, et cognoscatur, et tunc non tenetur. Si vero est occultum, et est circa rei substantiam, tenetur; si est circa rei qualitates, quae uon reddunt rem sive inutilem, sive nocivam emptori, eamque justo pretio, quanti nempe cum vitio valet, vendit, et tunc nec etiam tenetur; secus tenetur. Tandem si est circa quantitatem, etiam tenetur (1).

Q. *Quid si venditor advertat, emptorem esse tam rudem, et ignarum, ut non advertat ad vitium rei, licet manifestum?*

R. Tunc tenetur ei vitium rei aperire, quia respectu talis emptoris, vitium existimatur occultum.

Q. *Titius ut alliciat emptores ad frequentandam suam Officinam, vendit merces pretio infimo, quoties alii venditores vendunt pretio medio; interim occulte detrahit de pondere, vel mensura rei venditae, quantum pertingit ad pretium medium, patest ne hoc licite facere?*

R. Negative. Is namque peccat mortaliter, et tenetur ad restitutionem tum emptoribus, quia non tradit eis rem secundum pondus, et mensuram, uti conventum est; tum mercatoribus aliis, quia violavit jus, quod habent, ne per talem fraudem emptores a suis officinis retrahantur.

Q. *Potest ne venditor, vino praestanti, atque generoso parum vini vilioris pretii immiscere, ut sic evadat vinum commune Fori, et illud vendere pretio communi?*

R. Affirmative; dummodo tamen non intersit ali-

---

(1) Consul. P. Ferraris loco cit. art. III. num. 44. et seq. Pro Regno Sicil. Consul. Cod. noviss. Art. 1487. et seq.

qua fraus, vel malitia; vel vinum reddatur nocivum. Atque idipsum dicendum si vino nimis merace, vel rigido, parum aquae immisceat, ut dulcior efficiatur, et facilius vendatur; dummodo tamen nullum emptoribus sequatur damnum; et dummodo venditor tantum minuat de pretio vini, quantum auget de admixtione aquae.

Q. *Cajus privata scientia sciens, brevi minuendum esse pretium mercis, adhuc illam vendit pretio currenti, potest ne hoc facere?*

R. Potest licite currenti pretio vendere, quia pretium currens, usque dum veniat tempus, in quo minuatur, semper est justum (1).

Q. *Potest ne venditor rem pluris vendere, eo quod videat, emptorem illa valde indigere, aut valde affici erga illam?*

R. Non potest, quia indigentia illa, vel affectus, ut bene advertit P. Ferraris (2), non est res ven- » dentis, nec merci intrinseca, sed est res ementis, » unde injustissimum est, ob illam solam indigen- » tiam, vel specialem ad talem rem affectum emen- » tis, pluris justo pretio exigere.

Q. *Potest ne venditor rem valde raram pretiosam, aut peregrinam, vendere quocumque pretio, quod sibi placet?*

R. Adest dissidium inter Theologos; Verum utraque sententia, sua non caret probabilitate (3).

Q. *Quomodo peccat, et ad quid tenetur, qui falsas voces spargit; nempe, navem, quae ferebat frumentum, esse submersam; vel imminentem esse*

---

(1) Consul. S. Alphons. de Ligorio Lib. III. T. V. Cap. 3. Dub. 8. art. 2. n. 824.

(2) Loco laud. n. 34.

(3) Ex eodem Ferr. n. 35. 36. idid.

mercium caritatem ob multitudinem emptorum advenientium, et sic auget pretium mercis, et carius efficit ut alii vendant?

R. Peccat graviter, et ad restitutionem tenetur; etiamsi pretium intra limites justi pretii auxerit, quia fraude, et dolo, inducit emptorem ad emendum majori pretio.

Q. *Quid si venditor juret, rem tanti valere, et emptor tanti eam emit?*

R. Peccat quidem laethaliter, quia mentitur, et perjurat; sed non tenetur ad restitutionem. Quod vero emptor sit deceptus, sibi adscribat, quia fidem illi praestavit, quoties notum est, solitos esse mercatores mentiri, et facile jurare, et quae asseveranter dicunt, ut plurimum esse mendacia.

Q. *Quid dicendum si quis vendat quid pro quo, veluti aurichalcum pro auro, vitrum pro gemma?*

R. Peccat mortaliter, et ad restitutionem obligatur.

Q. *Quomodo peccant pharmacopolae, qui vendunt unum medicamentum pro alio?*

R. Vel tale medicamentum quod substituunt est aeque utile, atque salutare ac illud praescriptum, et non peccant. Si vero medicamentum vel est nocivum, vet inutile, et tunc non solum graviter peccant, sed ad damnorum restitutionem tenentur (1).

---

(1) Unde caveant Pharmacopolae, ait optime P. L. Ferraris loco cit. n. 47. « ab hujus prava praxi » dandi quid pro quo infirmis, cum tot eorum gra- » vissimis periculis, et damnis; serio reflectant, quod » pro conscientia tenentur tradere infirmis medicamenta, » ut sunt a Medicis praescripta; et aliter faciendo, » non ut debent, infirmorum saluti consulunt, et uti- » nam saepissime non nocerent; cum tale aliud me-

Q. *Si quis habet rem traditam ad vendendum pretio designato, et eam pluris vendit, potest ne sibi excessum retinere?*

R. Si iste talis est servus, et pretio conductus, non potest; si vero est alius, et tunc dissidium est inter Theologos. Probabilius tamen videtur, posse tantum retinere pretium laboris, quem impenderit pro illa re carius vendenda, non vero totum excessum (1).

Q. *Possunt ne mercatores inter se conspirare, ut merces cariori pretio vendant?*

R. Si conveniunt vendere merces pretio ultra supremum, non possunt, et si id faciunt, graviter peccant contra justitiam, et ad restitutionem obligantur. Si vero conveniunt vendere pretio supremo, peccant quidem, sed an contra justitiam, et teneantur ad restitutionem, non conveniunt inter se Theologi (2).

Q. *Potest ne quis rem carius vendere, quia vendit eam minutim?*

R. Potest, tum ratione majoris incommodi, et laboris in illius venditione; tum quia res, quae minutim venditur, in quantitate solet minui.

Q. *Potest ne Mercator merces vendere pluris, ac vendunt alii?*

» dicamentum sibi visum non absimile a praescripto, » sit saepe saepius, et possit esse reipsa, virtute dis- » simile, cum nimio periculo, et damno infirmorum, » qui si id scirent, certe talia medicamenta non sume- » rent ».

(1) Vid. S. Alphons. Cap. 3. de Contr. Dub. 8. art. 2. n. 825 Consul. etiam Concina Dissert. II: de Empt. et Vendit. §. XIII. q. 3.

(2) S. Alphonsus a Ligorio, expensis opinionibus aliorum n. 817. concludit: *Probabilius est hos venditores non teneri ad restitutionem.*

R. Affirmative. Mercator enim multas expensas cogitur facere in locanda officina, et mercium conservatione, quas alii non faciunt.

Q. *Si res sub asta venditur, potest ne vendi majori pretio, quo valet?*

R. Affirmative, dummodo tamen absit omnis fraus, vel dolus.

Q. *Potest ne quis rem pluris vendere, ratione solius dilationis pretii?*

R. Non potest; quia talis contractus esset usurarius.

Q. *Potest ne quis pecunia credita, vendere rem pretio supremo, et postea cum pecunia numerata, de manu emptoris emere pretio infimo?*

R. Si in rei venditione intervenit pactum cum emptore, illam emendi pretio infimo, non potest, quia haberetur contractus Mohatra, qui licitus non est (1) Si vero nullum intervenit pactum, adest litigium inter Doctores (2).

---

(1) Uti patet ex prop. 40 ab Innocentio XI. proscripta, quae sequens est: *Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personae, et cum contractu retrovenditionis praeviè, inito cum intentione lucri.*

(2) Volunt aliqui cum S. Antonino, etiam non posse, quia semper esset mutuum implicitum cum Usura. Alii e contra sustinent posse, dummodo id fiat sine scandalo; et maxime si fiat ad petitionem, et instantiam ipsius emptoris, qui ut liberetur ab incommodo circumeundi per vicos, et plateas, ut vendat rem pecunia credita emptam, illam ipso venditori tali pretio tradit, pecunia numerata. Atque haec sententia probabilior videtur, tum quia in venditore fuit verus animus vendendi, et in emptore animus verus emendi; tum quia licitum est vendere pretio supremo, et emere pretio infimo. Meminerint tamen venditores Charitatis Christianae cum pauperibus, atque indigentibus exhibendae.

CAPUT XIV.

De obligationibus emptorum.

Q. *Quinam possunt emere, quinam vero non?*

R. Emere possunt, qui possunt contrahere, uti dictum est; nequeunt vero illi, quibus est a Lege prohibitum (1).

Q. *Quaenam sunt emptoris obligationes?*

R. Sunt variae; ut infra patebit; sed praecipua ejus obligatio est solvendi pretium rei emptae in die, et loco, in venditionis contractu determinatis. Quod si id non fuit in contractu determinatum, solvere debet in eo loco, et tempore, in quo fieri debet traditio (2).

Q. *Si quis bona fide emit rem furtivam, cui tenetur eam restituere?*

R. Non conveniunt inter se Doctores. Quidam enim dicunt, debere illam domino restituere, statim ac cognoscit illam esse furtivam. Neque licitum est ei pretium pro illa solutum, a domino repetere, etiamsi sciret, se non posse de manu furis pretium solutum recuperare. Dicunt alii, quod bene possit emptor reddere furi, ut pretium solutum recuperet, et ita se indemnem servet (3).

Q. *At si quis tempore bonae fidei, rem emptam quae furtiva erat, consumpsit, vendidit, donavit, etc. tenetur ne ad restitutionem?*

---

(1) Uti expressis his verbis statuitur in laud. Cod. noviss. art. 1439. « Possono comprare, e ven» dere tutti coloro a quali la legge nol vieta.

(2) Ita expresse in Cod. noviss. art. 1496 1497.

(3) Consul. P. L. Ferr. cit. art. Art. II. n. 1. et seq.

R. Non tenetur (1); nisi ad id, in quo factus est ditior.

Q. *Quid dicendum si quis emat rem pecunia furtiva?*

R. Iste talis fit quidem dominus rei emptae, sed tenetur restituere pecuniam furtivam vero domino, vel eamdem si extat, vel in alia specie monetae si vel eam consumpsit, vel cum alia sua pecunia commiscuit; atque insuper resarcire omnem lucrum cessans, et damnum causatum tum illi, a quo pecuniam abstulit, tum etiam venditori, casu quo pecunia ab ipso evincatur.

Q. *Titius sciens in quodam agro esse thesaurum, aut res pretiosas absconditas, communi pretio illum emit, potest ne pro se thesaurum inventum retinere?*

R. Potest retinere, quia talis thesaurus soli emptori notus, revera in communi extimatione non auget pretium agri (2).

---

(1) Ita communiter Doctores cum D. Thoma 2. 2. q. 100. art. 6. et expresse habetur *Instit. Lib. 4. tit. 17. de Officio Judicis.*, ubi sic: *Si vero bonae fidei possessor fuerit, non habetur ratio neque consumptorum, neque non perceptorum.* Verum de hac re consul. P. Concina Dissert. 2. de Restit. Cap. 7. §. 8. et seq. In hac quaestione, nisi mea me fallit opinio, dicendum putarem; vel talis res adhuc existit penes emptorem, vel illum cui ipse vendidit, aut donavit, et tunc restituenda est; si vero jam est consumpta tempore bonae fidei, tunc emptor tenetur restituere, id in quo factus est ditior: quod si in nihilo factus est ditior, ad nihil tenetur.

(2) Atque id probari etiam potest ex illa similitudine, quam affert Christus Dominus apud S. Matth. Cap. XIII. dicens: *Simile est Regnum Coelorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo abscondit, et prae gaudio illius vadit, et vendit universa quae habet, et emit agrum illum.*

Q. *Cajus emit piscem, in cujus visceribus invenit gemmam magni valoris, potest ne illam facere suam?*

R. Affirmative, quia invenit in re sua. Venditor enim erat dominus piscis, sed non dominus gemmae, cujus existentiam ignorabat; neque emptor fit illius dominus ratione emptionis, sed ratione inventionis in re sua.

Q. *Sempronius fodiens terram invenit vas quoddam, et putans esse aeneum vendidit Titio decem carolenis; sed revera illud vas erat aureum, tenetur ne Titius ad aliquid?*

R. Si in contractu emptionis tale vas a Sempronio, aeque ac a Titio extimatum est aeneum, et tunc ad nihil tenetur Titius emptor; si vero Sempronius, ignorans illius valorem, extimabat illud aeneum esse, et Titius sciebat illud esse aureum, tenetur Titius ad vasis restitutionem (1).

Q. *Potest ne quis currenti pretio emere rem, cujus pretium scientia privata scit, fore brevi aucturum?*

R. Potest, quia valor justus rei est valor publice currens, secundum communem extimationem; unde qui taliter emit, pretio justo, emit; adeoque etc.

Q. *Possunt ne Chirographa, et aliena credita licite emi minori pretio?*

R. Si illa sunt certa, et liquida; ita ut pro illis exigendis nulla occurrat difficultas, molestia, lucrum cessans, aut damnum emergens, emi non possunt minori pretio; Si vero licet certa sint, non possunt tamen sine molestia, odiositate, periculo lucri cessantis, aut damni emergentis, et tunc possunt emi

(1) Vid. P. L. Ferraris loco cit. n. 13. et seq.

minori pretio (1).

Q. *Licet ne emere rem infra infimum pretium ob solam anticipatam solutionem?*

R. Non licet; esset enim usura palliata (2).

Q. *Si quis emit multa ab aliquo, potest ne minuere pretium?*

R. Potest, quia venditor a multis curis liberatur, et expeditior fit ad alias merces comparandas, et sic sua peragere, et lucrari.

Q. *Si venditor est in necessitate, potest ne emptor minuere pretium rei, quam ille vendit?*

R. Non potest; quia non licet abuti necessitate venditoris. Aliunde si hoc posset admitti, res pauperum, quae ut plurimum necessitate venduntur, viliori pretio emi possent; quod quam alienum sit a charitate fraterna, nemo non videt.

Q. *Possunt ne Sartores ementes pannos pro aliis, retinere aliquid de pretio, quando ipsorum intuitu, mercatores viliori pretio illis pannum vendunt?*

R. Dummodo ipsi fideliter agant, nec ullum praejudicium afferunt illis, pro quibus pannum emunt, possunt retinere (3); secus, non.

---

(1) Ita apud laud. Ferrar. loco cit. num. 29. et seq.

(2) Communiter Doctores cum D. Thoma 2. 2. q. 78. art. 2. ad 7.

(3) Non desunt tamen Doctores, qui huic adversantur sententiae. Hinc S. Alphonsus de Ligorio Cap. III. de Contract. dub. 8. art. 2. ex *Cont. Tournely T. 1. p. 474. V. Colliges.*, inquit: « Caute permittendum est Sartoribus ementibus pannos pro aliis retinere aliquid de pretio; nam aliquando Mercatores, revera potius simulant ipsis donare, quam donent; ita

Q. *Dantur ne causae licite, emendi merces minori pretio quam valeant?*

R. Affirmative; et sunt quae sequuntnr; 1. Quando emptor emit in gratiam venditoris; et ratione ipsius cessat emptori lucrum, vel damnum emergit; 2. Ratione multitudinis mercium; 3. Ratione multitudinis mercium simul emptarum; 4. ratione paucitatis emptorum; 5. ratione inopiae, vel paucitatis pecuniae; 6. ratione modi vendendi; 7. quando venditur sub asta, uti dictum est (1).

Q. *Est ne alicui licitum emere frumentum tempore messis, quo minus valet, ut servet vendendum ad tempus, in quo magis valet?*

R. Si emptor hoc facit pravo fine; animo scilicet inducendi caritatem frumenti, non est licitum: si vero id tali pravo fine non facit, et eo tempore quo vendit frumentum, illud vendit intra limites justi pretii; et tunc est licitum (2).

» ut si dominus ipse adiret, pro eodem pretio rem ob-» tineret. Ceterum si Sartor fideliter negotium domini » gerat, et mercator ei aliquid donet vere gratis, quia » suam officinam ille frequentat, vel ut eum alliciat, » ad suam officinam frequentandam, licite Sartor pos-» set retinere donatum, modo moralem diligentiam ad-» hibuerit ad emendum ab aliis mercatoribus, pretio » minori ». Vid. etiam Ferraris loco cit. n. 41. et sequen.

(1) Pag. hujns Vid. P. L. Ferraris loco cit. n. 30. et seq.

(2) Ita communiter Doctores cum S. Antonino 2. p. *Summae Theolog. tit.* 2. *Cap.* 23. §. 16.

CAPUT XV.

De Retractu gentilitio, et evictione.

Q. *Quid est Retractus gentilitius?*

R. *Retractus gentilitius est jus, quod habet proximior consanguineus venditori rescindendi, et ad se revocandi, seu retrahendi intra certum tempus, venditionem rei immobilis, oblato eodem pretio, quo illa ab extraneo, vel consanguineo remotiore empta fuerat.*

Q. *Quare fuit a jure concessus Retractus gentilitius?*

R. Fuit concessus ut possessiones paternae, atque avitae facilius in proxima posteritate conservarentur, et difficilius ad extraneos transirent (1).

Q. *Quinam possunt retrahere?*

R. Omnes venditoris consanguinei tam Laici, quam Clerici, exceptis Religiosis professis. Ante omnes vero competit liberis sive masculis, sive feminis dummodo tamen sunt filii legitimi. Quod si non extent liberi, possunt consanguinei collaterales, cum praelatione semper ad proximiorem venditoris.

Q. *Quid si consanguinei ejusdem gradus sint plures?*

R. Tunc omnes possunt retrahere, et rem retractam in communi possidere; vel si dividi potest dividere, aut sorti committere.

Q. *At si consanguineus proximior non vult retrahere, potest ne retrahere consanguineus remotior?*

R. Potest; at servato semper ordine gradus; si unus ex aequaliter propinquis cedat Juri suo, admit-

---

(1) Ita ex Cap. *Constitutos* 8. de in integrum restitut.

tendi sunt ad contrahendum reliqui in solidum.

Q. *Quaenam conditiones requiruntur, ut quis valide retrahere possit?*

R. Conditiones, quae sequuntur; scilicet 1. ut consanguineus retrahat intra annum, et diem; 2. ut offerat integrum pretium ab emptore extraneo solutum una cum omnibus expensis, et sumptibus, ratione contractus necessario factas, ita ut emptor servetur omnino indemnis; 3. ut refundat expensas ab emptore interea factas ad rem conservandam necessarias, et utiles, quas ipse retrahens, sive consanguineus fecisset; 4. Ut suo nomine, et in suum commodum, non alterius retrahat (1).

Q. *Quid est Evictio?*

R. Evictio est actio emptoris contra venditorem, vel venditoris contra emptorem ad servandum se indemnem; seu *Evictio est rei propriae, quam alius justo titulo acquisitam habet, apud Judicem recuperatio.*

Q. *In quibusnam contractibus locum habet evictio?*

R. In contractibus omnibus onerosis (2), et aliquando etiam in contractibus gratuitis, quando scilicet habetur dolus; et donatarius, ex contractu passus est damna, quae debent ei a donatore resarciri.

Q. *Obligatur ne venditor praestare evictionem, esto eam non promiserit?*

R. Obligatur ad ipsam praestandam, postquam res vendita, fuerit evicta (3).

---

(1) Ita ex diversis Legibus a P. L. Ferraris relatis, loco cit. Art. IV. n. 36. et sequ. In Cod. autem novissimo non legitur hoc privilegium esse firmatum.

(2) L. 8. *Libera* C. 7. 1. 4. *de sent. et interlocutione.*

(3) Ita expresse in leg. *Non dubitetur in 6. Cod. de Evict.* Sicuti ex Cod. nostro noviss. art. 1472.

Q. *Ad quid tenetur venditor si res fuerit evicta?*

R. Si res fuerit tota evicta, tenetur restituere emptori totum pretium; si vero pars tantum fuerit evicta, tenetur restituere partem pretii. Quod si pars evicta, fuerit magni momenti, relate ad totum, ita ut sine ipsa emptor non emisset rem, per Codicem novissimum (1), contractus rescindi potest. In casu autem evictionis partis alicujus fundi venditi, vendita non fuerit rescissa, valor partis evictae, venditor emptori restituet, secundum extimationem, quem habebit tempore evictionis, non vero proportionate ad pretium totale venditionis, sive rei venditae, si valor sit auctus, sive imminutus (2).

Q. *Tenetur ne ad aliud venditor?*

R. Maxime; nam tenetur restituere emptori omnes expensas factas sive pro denuntiatione litis suo actori, sive ab ipso actore; nec non et expensas legitimas. Sicuti etiam compensare damna, si quae illi obvenerunt, ut ipsum reddat indemnem (3).

Q. *Quid si res vendita, tempore evictionis, inveniatur imminuta in valore, vel notabiliter deteriorata?*

R. Etiam integrum pretium restituere debet emptori, sive res imminuta sit, vel deteriorata propria negligentia, vel vi aliena, cui resisti non potuit. Quod si emptor, ex tali deterioratione, utilitatem perceperit, venditor habet jus retinendi de pretio summam, tali utilitati respondentem (4).

Q. *At si tempore evictionis res vendita fuerit pretio aucta, ad quid tenetur venditor?*

---

(1) Ex eod. Cod. noviss. art. 1492.
(2) Id. art. 1483.
(3) Ibid. art. 1477.
(4) Ita expresse ex eodem Cod. art. 1477. 1478.

R. Venditor tenetur emptori solvere id quod plus valet venditionis pretio (1).

Q. *Si emptor fecit reparationes, vel meliorationes in ea, quae evicta est, tenetur ne venditor eas illi resarcire?*

R. Tenetur, vel ipsemet, vel efficere ut resarciantur ab eo, qui fundum evicit (2).

Q. *Dantur ne casus, in quibus venditor bonae fidei non tenetur de evictione?*

R. Affirmative; et sunt qui sequuntur; 1. quando emptor non vocavit venditorem in judicium; modo tamen venditor probet, se habere sufficientes rationes ad litem defendendam; 2. Quando adest pactum non praestandi evictionem, dummodo tamen venditor in actu venditionis scivisset periculum evictionis, vel suo periculo rem emisset; 3. quando res evicta est culpa judicis; 4. quando emptor contumaciter abfuit tempore sententiae promulgatae; 5. quando emptor rem praescribere poterat, et culpa sua, vel negligentia non praescripsit; 6. quando ipso absente, emptor non appellavit a sententia; dummodo tamen manifesta non sit justitia actoris, et sententiae prolatae; 7. quando emptor litem motam definiri permisit per judicem arbitrum, ad quem causae cognitio non spectabat (3).

---

(1) Ib. art. 1479.

(2) Ex eod. Cod. Art. 1480.

(3) Ex cit. Cod. etc. 1475. et 1479. Alia quae sequuntur, vel addi possent vid. apud P. Ferraris, V. Evictio n. 13. et seq.

CAPUT XVI.

De Negotiatione, et Monopolio.

Q. *Quid est Negotiatio?*

R. Negotiatio est contractus, quo merces eo animo emuntur, ut postea carius vendantur, lucri faciendi causa.

Q. *Quotuplex est Negotiatio?*

R. Duplex est; scilicet *propria*, et *impropria*. Negotiatio propria est illa, qua quis, rem aliquam eo animo emit, ut illam integram, et immutatam vendat, lucri causa. Impropria vero est illa, qua quis rem aliquam emit eo animo, ut eam mutatam, et meliorem effectam vendendo, lucrum percipiat.

Q. *Est ne licita negotiatio?*

R. Si loquimur de negotiatione impropria, dico quod omnibus est licita; Si vero de negotiatione propria, dico, illam, per se, esse solis Laicis licitam, et permissam; Clericis vero, et Religiosis interdictam (1).

Q. *Cur dixisti, negotiationem* per se *esse licitam?*

R. Ita dixi, quia licet in se inspecta, negotiatio sit licita, et non modo utilis, sed Societati necessaria, per accidens tamen fit illicita, et damnabilis; quia ars innumeris periculis subjecta, et multorum peccatorum occasio contra Religionem, contra Justitiam, et contra charitatem (2).

---

(1) Ex Cap. *Secundum: ne Clerici, vel Monachi*, his verbis; *Sub interminatione anathematis prohibemus ne Monachi, vel Clerici causa lucri negotientur.*

(2) Et sane qui lucri gratia merces vendunt, vel emunt, volunt divites fieri; hinc ex Apostolo Paulo I.

Q. *Quibusnam Clericis, vel Monachis est prohibita negotiatio?*

R. Est prohibita Clericis in Sacris constitutis (1); et etiam Clericis in Minoribus, si habent Beneficium Ecclesiasticum (2). Monachis vero est prohibita, etiam simpliciter professis, licet nullo Ordine sint insigniti.

Q. *Licet ne Clericis aliena praedia conducere aut similes res fructiferas, ut fructus vendant, et lucrum faciant?*

R. Non possunt, cum hoc sit ipsis a Concilio Carthaginensi I. et IV. specialiter prohibitum.

Q. *Possunt ne saltem emere jumenta, et ea pretio locare?*

---

ad Timot. Cap. VI. *incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quae mergunt homines in interitum, et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis.*

(1) *Nam nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus* II. ad Timot. Cap. 2. Si ergo Clerici in sortem Domini vocati sunt, et Deo militant, atque Sacris ministeriis sunt addicti, non convenit, eos esse negotiationi intentos, quae maxime a servitio Dei distrahit, atque a Deo ipso avertit.

An vero Subdiaconis non beneficiatis sit interdicta nec ne negotiatio, dubitatur a nonnullis, cum tempore Concilii Carthaginensis III., cujus est supradictum Canon, Clericis vetans negotiationem, Subdiaconatus Ordo, non esset inter Sacros adnumeratus.

(2) *Ratio autem, cur Beneficiariis negotiatio sit interdicta, est*, ait S. Alphonsus de Ligorio Lib. III. Tract. V. Art. 2. n. 331. *quia Beneficiarii, ex officio debent Deo vacare, utpote addicti Ministerio Ecclesiastico.*

R. Videtur non posse, cum haec sit quaedam species perfectae negotiationis.

Q. *Quomodo peccant Clerici exercentes negotiotionem, et in quas poenas incidunt?*

R. Graviter peccant, et incidunt in excommunicationem, et suspensionem ferendae sententiae (1); et si ter moniti perseverant in negotiatione, et non desistunt, post tertiam monitionem, incidunt in amissionem privilegii immunitatis Clericalis (2).

Q, *Dantur ne Casus, in quibus Clerici negotiando non peccent?*

R. Affirmative; et sunt qui sequuntur; nempe 1. quando raro, hoc est bis, vel ter, secluso scandalo, negotiantur, et negotiatio non est turpis, neque in magna quantitate (3); 2. quando non turpis lucri, sed merae necessitatis causa, ut nempe se, suosque alant, non habentes aliunde bona, unde vivant (4); obtenta tamen dispensatione, ut eximantur tam a culpa, quam a poenis contra Clericos negotiatores latis. 3. quando bona sua patrimonialia, ac Be-

---

(1) Uti ex Cap. *Secundum ne Clerici, vel Monachi*, quas poenas Trid. Synodus Sess. XXII. Cap. 1. confirmavit.

(2) Cap. ult. *Ex literis* de Vita, et honest. Cleric. Ex quo autem Clerici peccent negotiando, et talibus afficiantur poenis, non inde inferri potest, eos ad restitutionem teneri, cum non peccent contra justitiam.

(3) Jura enim loquuntur de Clericis exercentibus negotiationem, in illamque insistentibus.

(4) Ita expresse Cap. *Multa sunt negotia*, 1. *ne Clerici, vel Monachi*, ubi sic: *Nec tamen justum negotium est contradicendum propter necessitates diversas, quia legimus, Sanctos Apostolos negotiatos fuisse, et in Regula B. Benedicti praecipitur provideri, per quorum manus negotia Monasterii procurentur.*

neficiorum, quae obtinent excoli faciunt, atque animalia ad hunc effectum necessaria emunt, et vendunt; illorumque foetus justo pretio, et honesta ratione vendunt (1), quando Clerici vinum suum, etiam minutim, et panem, ex frumento in praediis Canonicalibus collecto, confectum, vendunt (2); 4. tandem, ut alia praetereamus (3); quando a principio defuit Clericis animus negotiandi.

Q. *Quid est Monopolium?*

R. *Monopolium est conspiratio unius, vel plurium in unum conventio, qua unus, vel plures mercatores, propria auctoritate, efficiunt, ut ipsi soli quasdam merces vendant, vel emant, quaecumque voluerint.*

Q. *Quotuplici modo fieri potest Monopolium?*

R. Fieri potest multipliciter; sed praecipue sequentibus; nempe 1. Quando mercatores inter se conveniunt de merce vendenda, pretio ab ipsis statuto; aut emptores de non emenda merce; nisi pretio ab ipsis praefixo; 2. quando unus, vel plures emunt omnes merces, ut ipsi soli eas vendant, pretio quo ipsis placet; 3. quando impediunt ne aliae merces advehantur, ut majori pretio suas vendant cum detrimento civium; 4. quando quis obtinet a Principe privilegium, ut ipse solus certum genus mercium vendere possit.

---

(1) Ex decr. S. Congreg. Episcop., et Regul. *in Barensi* 15. *Novembr.* 1616.

(2) S. Congreg. suprad. in *Aversana* 15. Maji 1593. et ex decis. n. 27. S. Congreg. Conc. 1627.

(3) Quae videri poterunt apud P. Luc. Ferraris land. art. III. n. 18. et seq., nec non in Bulla Benedicti XIV. adversus Clericos negotiatores edita Romae 25. februarii 1741.

Q. *Hujusmodi Monopolia sunt ne omnia licita?*

R. Primi, secundi, et tertii generis Monopolium est illicitum. Quoad vero quarti generis monopolium licitum est, dummodo tamen ex legitima, et justa causa fuerit a Principe impetratum, et servetur justa pretium sive a Principe, sive a viris prudentibus taxatum.

Q. *Quomodo peccant, et contra quam virtutem qui Monopolium illicitum exercent?*

R. Qui primi generis monopolium exercent peccant mortaliter contra justitiam commutativam, et ad restitutionem obligantur. Qui vero exercent monopolium tertii generis mediante, dolo, fraude, aut vi et tunc etiam peccant graviter contra justitiam commutativam; si vero absque dolo, fraude, et vi; et tunc peccant quidem laethaliter, sed an contra justitiam commutativam, an solum contra charitatem, non conveniunt inter se Doctores.

Q. *Possunt ne emptores licite conspirationem inire de non emenda re nisi pretio infimo, postquam venditores jam inter se conspiraverint de non vendenda re, nisi pretio supremo?*

R. Quaestio est inter Doctores; verum probabilius videtur id posse.

Q. *Est ne Monopolium licitum, quo artifices invicem paciscuntur, ne opus ab uno ipsorum incaeptum, ab alio perficiatur?*

R. Non est licitum; quia hoc cedit in damnum Reipublicae, et Civium (1).

Q. *Potest ne Mercator, qui non est particeps*

---

(1) Ita ex L. Unica *Jubemus* C. 1. 4. tit. 19. Monop.

Monopolii vendere merces eodem pretio ac vendunt qui Monopolium tali pretio vendendi, fecerunt?

R. Non potest; quia semper injusto pretio rem venderet; et facto ipso in idem monopolium communicaret (1).

CAPUT XVII.

De Societate, atque Contractu Trino.

Q. *Quid est Societas, et quotupliciter considerari potest?*

R. Societas est contractus, quod duo, vel plures, communi consensu aliquid ponunt, in commune lucrum, vel damnum. Et dupliciter considerari potest; scilicet vel inter duos, quorum unus ponit sortem, et alter industriam; vel inter duos, qui simul ponunt industriam, et sortem.

Q. *Est ne licitus societatis contractus?*

R. Tam jure Canonico (2), quam Civili licitus est; sub datis tamen conditionibus (3).

Q. *Quaenam conditiones requiruntur, ut contractus Societatis sit licitus?*

R. Sequentes requiruntur conditiones; nempe 1. Ut sit de re licita, et honesta; 2. Ut singuli socii aliquid in commune conferant ad revera negotiandum (4); 3. Ut in lucro, et in damno servatur ae-

---

(1) Consul. P. Concina Lib. III. de Just. et jure Dissert. II. §. V. q. 11. et seq.

(2) Ita Cap. 7. per vestras literas de donationibus inter virum, et uxorem.

(3) Tit. 2. Pro socio D. 1. 17. L. III. tit. X. Cod. noviss. Art. 1704. et seq.

(4) Ita ex L. XVII. *nec praetermittendum*; Art.

qualitas juxta proportionem rei, et industriae; (1), 4. ut periculum sortis sit apud apponentem sortem (2); 5. ut ponens sortem subsit duplici periculo amittendi scilicet sortem, et lucrum; apponens vero industriam, tantum periculo amittendi industriae lucrum; et 6. ut serventur pacta jure apposita in societate.

Q. *Quomodo perficitur contractus Societatis?*

R. Jure communi perficitur mutuo consensu (3).

Q. *Potest ne in contractu Societatis apponi pactum de casu fortuito?*

R. Non potest, quia in tali casu haberetur contractus quem vocant ad caput salvum, in quo scilicet quis dat alicui sortem cum pacto dividendi lucrum, sorte, seu capite, vel capitali semper salvo (4).

Q. *Datur ne casus, in quo sors perit socio, qui apponit industriam?*

R. Affirmative, et est quando sors perit dolo, culpa lata, vel levi socii apponentis solam industriam (5).

Q. *In defectu socii delinquentis, tenentur ne il*

---

ex Cod. noviss. art. 1705. His verbis. « Qualunque » società deve avere un oggetto lecito . . . . Ciascun » socio deve conferirvi o danaro, o altri beni, o la pro- » pria industria »1

(1) Ex Q. XXIX. *Si non fuerint.*

(2) Ex eodem cit. L. De Jure noviss. vid. art. 1723 et seq.

(3) Dicitur *Jure communi*, quia juxta Cod. nov. art. 1706. « Ogni società si dee contrarre col mezzo di » Scrittura, quando l' oggetto di essa ecceda il valore » di docati cinquanta » etc.

(4) Consul. Cod. noviss. art. 1727.

(5) Ita ex Cod. noviss. art. 1722.

lius haeredes ad compensationem alteri ex sociis faciendam?

R. Tenentur (1).

Q. *Ad quem spectat damnum, quod uni ex sociis obvenit?*

R. Si damnum ei obveniat praecise ex societate tamquam ex causa proxima, et spectat ad societatem si vero ex alia causa a societate remota, et tunc ad ipsum socium spectat.

Q. *Titius iniit societatem cum Cajo, et postea alias societates cum aliis iniit, peccat ne?*

R. Si alias societates cum aliis ineundo damnum infert primae societati, peccat; si vero nullum damnum infert, non peccat.

Q. *Peccat ne, et tenetur ad restitutionem, qui non servat pacta in societate statuta?*

R. Maxime, quia non servando pacta societatis cum damno alterius socii, agit contra justitiam.

Q. *At si quis agendo contra pacta societatis reportat majus lucrum, potest ne lucrum illud sibi retinere?*

R. Si hoc facit suo nomine potest augmentum lucri sibi retinere, quia ipsius est periculum; si vero fecit nomine Societatis, et tunc tale lucrum inter socios debet dividi.

Q. *Quibus modis solvitur Societas?*

R. Sequentibus modis; nempe 1. mutuo sociorum consensu; 2. finito negotio, ob quod inita fuit societas, aut elapso tempore ad societatem statuto;

---

(1) Ita communiter doctores sx variis textibus legis, praecipui l. Verum 63. §. 8. ff. eod. ubi sic: *In haeredem quoque socii pro socio actio competit quamvis haeres socius non sit, attamen emolumenti successor est.*

3. morte naturali, vel civili alterius socii; 4. intuitu rei, de qua societas inita fuit, aut decoctu alicujus socii *(1)*.

Q. *Quid dicendum de expensis quae fieri debent in Societate, vel de muneribus quae accipiuntur?*

R. Expensae ordinariae, quae fiunt causa societatis solvenda sunt ex communi pecunia societatis; expensae vero inutiles, et voluptuosae absque ulla rationabili causa, solvendae sunt ex bonis illius, qui ea fecit. Quoad munera vero, si sunt accepta intuitu societatis, sunt inter socios dividenda, secus vero si alio intuitu.

Q. *Quid est contractus Trinus, et an sit licitus*

R. 1. Contractus Trinus est ille, in quo habetur simul triplex contractus; scilicet contractus societatis; contractus assecurationis sortis; et contractus assecurationis lucri.

R. Talis contractus si celebratur cum diversis est licitus; si vero cum eadem persona, disputatur inter Theologos *(2)*.

---

(1) Ita ex L. 63. verum est §. 10 D. pro socio his verbis: *societas solvitur ex personis, ex rebus, ex voluntate, ex actione; ideoque sive homines, sive res sive voluntas, sive actio interierit, distrahi videtur societas*. Cui concordat Cod. noviss. art. 1737. Consul. P. L. Ferraris V. Societas n. 24. et seq.

(2) Vid. plura de hac re apud. P. L. Ferraris, loco laud. n. 3. et seq. Pro parte negat. Consul. P. Concina L. III. de Justitia, et jure Dissert. 3. C. 21 §. VI., et seq.

CAPUT XVIII.

De Locatione, et Conductione.

Q. *Quid est Locatio, et quid conductio?*

R. Locatio est contractus, quo quis certo pretio, vel constituta mercede dat alteri rem suam utendam vel fruendam ad aliquod tempus. Conductio vero est contractus, quo quis certa mercede accipit rem aliquam ad usum, vel fructum ad tempus. Qui certa mercede dat aliquam rem suam utendam, dicitur *Locator*, qui vero rem accipit tali modo, dicitur *conductor*.

Q. *Quaenam locari possunt?*

R. Omnia, quae vendi possunt; dummodo nulla sit Publicae auctoritatis, vel Legis prohibitio.

Q. *Quaenam a Jure locari prohibentur?*

R. Quae sequuntur; nempe 1. Domus publico usurario alienigenae (1); et etiam Meretrici, saltem in ea Civitatis parte, ubi non permittitur habitare; 2. prohibetur Clericis conductio cujuscumque praedii causa negotiandi (2); 3. prohibetur omnibus Ecclesiasticis sub clausula irritante bonorum immobilium. aut mobilium pretiosorum locatio ultra triennium (3).

Q. *Quaenam sunt locatoris obligationes?*

R. Sunt hae: scilicet « 1. aperire vitium rei locatae, quod illius usum impedit, alias tenetur ad damna, etiamsi tempore locationis tale vitium ignoraverit (4); 2. tenetur ad expensas quae pro con-

---

(1) Uti ex Cap. 1. *Usurarum de usur.* in 6.

(2) Ex Cap. 1. *Pervenit.* dec. Par. 2. q. 3.

(3) Extravag. Ambitiosae de rebus Eccles. non alien.

(4) Ita ex Cod. noviss. art. 1567.

veniente usu rei locatae possunt esse necessarias, et etiam ad solvenda onera publica, nisi aliud conventum sit (1); 3. Conductorem non amovere usque ad tempus locationis statutum. Hinc nequit conductorem a domo expellere, etiamsi declaret rem locatam esse sibi necessariam, nisi aliter conventum fuerit (2); 4. remittere, vel minuere pretium locationis, si conductor uti nequiverit re locata, modo impedimentum provenerit ex parte locatoris; vel rei locatae (3).

Q. *Quid agere debet Locator, ut finito tempore locationis possit expellere conductorem a re locata?*

R. Si contractus locationis initus est absque scriptura, locator tenetur facere denunciationem, et conductori suam contrariam voluntatem significare. Si vero initus est cum scriptura non est necessaria denunciatio, quia expleto tempore, locatio cessat ipso jure (4).

Q. *Quando fieri debet conductori, dicta denunciatio?*

R. Ex Codice novissimo (5) fieri debet quarto mense ante finitam locationem; alias conductio censebitur tacite prorogata; excepta locatione praedii rustici, quae etiamsi scriptura non sit perfecta expleto tempore a lege statuto, absque praecedenti denunciatione cessat ipso jure (6).

---

(1) Ex Cod. cit. art. 1566.
(2) Ex cod. noviss. art. 1565. 1607.
(3) Ibid. art. 1565.
(4) Ex Cod. noviss. art. 1683.
(5) Art. 1580.
(6) Ex cod. art. 1620. et seq.

Q. *Tenetur ne locator aliquid conductori remittere ob anni sterilitatem de casu fortuito?*

R. Si sterilitas est modica, vel infra medietatem fructuum, nihil remittere debet. Si vero est vel totalis, vel excedens medietatem, tenetur remittere vel integram mercedem, vel medietatem; modo tamen fertilitas praecedentis anni non suppleat talem sterilitatem (1).

Q. *Potest ne locator durante tempore locationis mutare formam rei locatae?*

R. Non potest, exceptis aliquibus casibus, et circumstantiis, uti ex Codice novissimo (2).

Q. *Dantur ne casus, in quibus locator potest ante praefixum tempus, conductorem a re locata expellere?*

R. Dantur, et sunt qui sequuntur; scilicet 1. Si conductor pretium locationis praefixum non solvet (3); 2. Si conductor re locata abutatur (4); 3. Si res locata, adeo necessaria indigeat refectione, ut conductor nequeat in ea habitare (5); et 4. Si res locata, ob aliquem inopinatum casum sit ipsi locatori necessaria (6).

Q. *Quaenam sunt conductoris obligationes?*

R. Sunc sequentes; nempe 1. Uti re ad eos usus, pro quibus est ei concessa; 2. Solvere pensio-

---

(1) Ex Cod. noviss. art. 1615. 1616.

(2) Art. 1570. et seq.

(3) Sed hoc ex Cod. noviss. art. 1574. Jure vero communi, si per biennium mercedem non solvat Cap. Propter 3. de locat.

(4) In L. Æde Cap. de locat. atque ex eod. laud. art. 1575.

(5) Ex eod. Cod. noviss. art. 1570.

(6) Uti ex cit. L. *Æde*.

nem tempore in contractu statuto; 3. expleto tempore, rem integram locatori restituere, et quidem in eodem statu, quo illam accepit; 4. tandem omnia damna locatori incendio causata compensare, quoties probare nequit illa sua culpa non accidisse (1).

Q. *Potest ne Conductor rem sibi locatam alteri sublocare?*

R. Affirmative, uti communiter, doctores ex variis Legibus (2); nisi tamen aliter conventum fuerit.

Q. *Quando solvitur contractus locationis?*

R. Solvitur quando res locata perit, vel quando locator, et conductor respective non satisfaciunt obligationibus suis (3). Item solvitur rei adjudicatione, si pretium aut totum, aut in parte erit solutum creditoribus, qui habent hypothecam in re ipsa, et sint anteriores locatione (4).

---

(1) Ita expresse in laud. Cod. noviss. art. 1574. et seq.

(2) L. 19. tit. 2 locati, et conducti; et expresse ex Cod. noviss. art. 1563. his verbis: « Il fittajuolo ha » il diritto di sublocare, ed anche di cedere il suo af- » fitto ad un altro, quando tal facoltà non gli sia stata » interdetta ».

(3) Art. r587. Cod. noviss.

(4) Ibid. art. 1588. Quae ulterius de hac materia scire convenit, ut in hoc Regno hic contractus rite concludatur, legi possunt in eodem Cod. ubi plura ad rem statuuntur.

CAPUT XIX.

De Censu, Feudo, atque Emphyteusi.

Q. *Quid est Census?*

R. Census est Jus percipiendi pensionem ex re alterius utili, ac frugifera, vel persona. Ille qui tale jus habet dicitur censualista; qui vero habet obligationem solvendi pensionem dicitur censuarius.

Q. *Quotuplex distinguitur Census?*

R. Duplex; nempe *reservativus*, et *consignativus*. Census reservativus est ille, quo quis transfert in alterum dominium directum, et utile rei suae, reservato sibi jure annuae pensionis super eadem re. Consiguativus vero est ille, quo quis, retentis bonis suis, eorumque usu, consignat, seu tribuit alteri jus percipiendi annuam pensionem super persona, aut praefatis bonis suis.

Q. *Quotuplex est Census Consignativus?*

R. Triplex est; scilicet *realis*, si pensio percipitur ex re; *personalis*, si percipitur a persona; et mixtus si pensio ab utraque percipitur.

Ulterius census consignativus vel *temporalis* est, vel *perpetuus*. Primus est ille, qui durat ad certum, sive determinatum tempus, veluti ad decem annos; sive incertum, atque indeterminatum, veluti quousque quis vivet; unde et vitalitius appellatur. Secundus vero est ille, in quo non habetur designatio temporis, et perenniter durat.

Q. *Quatuplex est Census perpetuus?*

R. Duplex; *redimibilis* scilicet, atque *irredimibilis*. Redimibilis est ille, cui pactum redimendi adjicitur; irredimibilis vero, cui tale pactum non est appositum.

Insuper alius est *pecuniarius*, quia solvitur in pecunia; alius *fructuarius*, et solvitur fructibus.

Q. *Contractus Census est ne licitus*?

R. Vel loquimur de censu reservativo, et omnes conveniunt esse licitum; vel loquimur de censu consignativo, et etiam est licitum sub datis tamen aliqnibus conditionibus.

Q. *Quaenam sunt conditiones, quae requiruntur ut hujusmodi census sit licitus*?

R. Conditiones de Jure naturae requisitae sunt tres; scilicet 1. ut census fundetur supra re vel persona frugifera; 2. ut inter censum, et pretium sit aequalitas; 3. ut pacta praeter naturam contractus juste adjecta compensentur.

Conditiones vero de Jure Canonico juxta Constitutionem Nicolai V. quatuor assignantur; nempe 1. ut census constituatur specialiter super re certa et fructifera, et generaliter super omnibus bonis censuarii; 2. ut sit pactum retrovendendi arbitrio venditoris, non emptoris; 3. ut pensio non excedat decem in centum (1); 4. ut pro securitate, paenae ad pacta adjici possint.

Q. *Quodnam est pretium justum census*?

R. Est illud, quod, vel a lege, vel a consuetudine, vel a voluntate Principis in aliquo casu juste taxatum est. Si vero taxatum non fuerit, illud censeri debet, quod justa aequitas dictat, secundum conditiones contractus, et utriusque contrahentis gravamina, aliasque circumstantias.

Q. *Quid si excedantur limites justi pretii*?

R. Tunc peccabitur quidem contra justitiam, et non esset usura.

Q. *Quid est Feudum?*

R. Feudum est contractus, quo sub onere fide-

---

(1) Ad petitionem Alphonsi I. Utriusque Siciliae Regis edita Anno 1458. quae ita incipit: Sollicitudo.

litatis, et obsequii personalis, transfertur rei immobilis dominium utile, retento directo. Qui rem tradit vocatur *infeudator*; qui vero accipit *vassallus* seu *feudatarius*.

Q. *Ad quid tenetur Feudatarius?*

R. Ad haec tria; 1. nempe praestare juramentum fidelitatis; 2. suo tempore requisitus praestare obsequia debita; non disponere de feudo sine consensu infeudatoris.

Q. *Quomodo amittitur feudum?*

R. Amittitur vel propter neglecta obsequia; vel ob crimen felloniae, hoc est belli gesti contra dominum directum (1).

Q. *Quid est Emphyteusis?*

R. Est contractus, quo quis rem suam immobilem alteri tradit quoad dominium utile cum obligatione illam miliorandi, et certam pensionem solvendi, quae Canon dicitur, in recognitionem dominii directi (2).

---

(1) Qui plura de Feudo scire cupit consul. P. L. Ferraris V. Feudum.

(2) Ita expresse ex Cod. novis. art. 1678. Emphyteusis ergo differt a locatione; nam in Emphyteusi traditur dominium utile; in locatione solum usus. Emphyteusis constituitur solummodo in re immobili, locatio vero etiam in re mobili. Emphyteusis fit ad longum tempus, hoc est non minus decennio Art. 1681. Cod. noviss. locatio vero ad breve tempus.

Insuper Emphyteusis differt a censu; quia in Emphyteusi transfertur dominium utile, in censu autem dominium perfectum. In Emphyteusi, si pensio non solvitur tempore praefisso, res cadit in commissum; in censu vero, si pensio non solvitur, res non cadit in commissum.

Tandem Emphyteusis differt a Feudo, quia solvitur pensio, in Feudo vero debetur tantummodo obsequium personale.

Q. *Quotuplex est Emphyteusis?*

R. Alia est Ecclesiastica, laica alia; Prima est illa, cujns dominium directum spectat ad Ecclesiam; secunda est illa cujus dominium directum spectat ad personam laicam. Atque utraque haec Emphiteusis est vel perpetua, vel temporalis, prout nempe fit, vel ad tempus indeterminatum in perpetuum; vel fit ad tempus determinatum, videlicet ad decem annos.

Q. *Quaenam conditiones ad Emphyteusim requiruntur?*

R. Sequentes; scilicet Scriptura, melioratio, et pensio (1).

Q. *Quinam tenentur facere expensas in re Emphyteutica?*

R. Si loquimur de expensis necessariis ad meliorandam rem, aut ad colligendos fructus, et tenetur eas facere Emphyteuta. Si vero requiruntur pro restauratione rei; et tunc spectant ad dominum directum.

Q. *Si res perit tenetur ne Emphyteuta ad pensionem solvendam?*

R. Si res emphyteutica, casu fortuito, integra perit, ad nihil tenetur (2) si vero tota non perit; et tunc jure communi, tenetur solvere totam pensionem; jure vero nostri Regni Neapolitani, non potest emphyteuta petere aliquam pensionis diminutionem, dummodo pars, quae remanet reddat sufficientem fructum; unde possit illam integre solvere. Quod si pars perdita fuerit considerabilis, poterit emphy-

---

(1) Ita ex Authent. Cap. Emphyteusis C. 1. 4. tit. 66. de tit. Emphyt. et ex Cod. cit. art. 1079.

(2) Ita L. 1. C. de Jure Emphyteusis, et ex Cod. noviss. art. 1688.

teuta renunciare juri suo, retrocedendo fundum domino directo (1).

Q. *Si emphyteuta statuto tempore, non solvit pensionem, quid erit dicendum?*

R. Ipse incidit in paenam commissi, itaut possit a domino statim expelli; dummodo tamen duobus annis non solverit, si pensio sit Ecclesiastica, et tribus annis, si fuerit laicalis (2).

Q. *Potest ne Emphyteuta vendere jus suum utile?*

R. Affirmative, dummodo tamen prius dominus de consensu interpellet, qui intra duos menses a juridica interpellatione declaret se velle consensum praestare venditioni, vel aliis praeferri (3); alias non potest.

Q. *Debetur ne aliqnid domino directo, si res emphyteutica alienatur?*

R. Jure communi debetur laudemium (4); jure autem Regni Neapolis (5) non debetur, nisi expresse fuerit conventum, et quidem quod non excedat quinquagesimam partem pretii.

Q. *Quinam succedunt in Emphyteusi tam Ecclesiastica quam laicali?*

R. Si est simpliciter haereditaria succedunt haeredes ab Emphyteuta statuti; si est mixte haereditaria, hoc est concessa pro filiis, suisque haeredibus successoribus, et tunc filii non sunt successores nisi succedant in haereditatem ascendentium; si tandem est ex pacto, et providentia, hoc est data pro filiis,

---

(1) Ex eodem Cod. ibid.
(2) Cod. laud. art. 1689.
(3) Ibid. art. 1691. et seq.
(4) L. 3. cit.
(5) Art. 1697.

seu descendentibus, et tunc succedunt filii, etiamsi non sint haeredes (1).

CAPUT XX.

De Cambio, assicuratione, et Fidejussione.

Q. *Quid est Cambium?*

R. Cambium est permutatio pecuniae pro pecunia. Qui dat pecuniam pro alia pecunia dicitur *Campsor*, qui pecuniam recipit ut aliam dat dicitur *Campsarius*.

Q. *Quotuplex est cambium?*

R. Duplex est; *siccum* nempe; et *reale*. Cambium siccum est illud, quod caret justo titulo, et est mutuum sub nomine cambii palliatum. Reale vero est, quando effective, et realiter adest cambium pecuniae pro pecunia.

Q. *Quotuplex est cambium Reale?*

R. Etiam duplex est; scilicet *locale*; et *manuale*. Primum est permutatio pecuniae alterius speciei; uti pecunia argentea pro aurea; patria cum extera. Secundum est permutatio pecuniae praesentis unius loci pro pecunia distante alterius loci; quod fieri solet per literas, quae vulgo *Cambiali* appellantur.

Q. *Est ne licitum Cambium?*

R. Vel loquimur de cambio sicco, et est illicitum, quia est vere usurarium, dummodo tamen non intersit lucrum cessans, vel damnum emergens,

---

(1) Non pauca alia hic addenda forent; sed haec tyroni Confessario innuisse sufficiant. Qui tamen si opus fuerit consulat Auctores, et praesertim pro hoc Neap. Regno Cod. noviss. saepius citatum.

aut periculum amittendi sortem; vel loquimur de cambio reali, et est licitum, dummodo tamen absit omnis fraus, aut dolus, quia adsunt justi tituli ad lucrum faciendum.

Q. *Quinam sunt justi tituli, quibus cambium reale fit licitum?*

R. Sunt sequentes; et quidem pro cambio reali manuali, justi tituli sunt; 1. conductio Officinae; 2. Officium Campsoris; 3. lucrum cessans; 4; labor in conquirenda, et numeranda pecunia. Pro Cambio locali sunt; 1. Traslatio, et assecuratio pecuniae; 2. Multa pericula, quibus Campsores, non raro subjacent, talia Cambia facienda.

Q. *Possunt ne aliquid lucrari Cambio, qui non habent Officinam cambiendi?*

R. Utique possunt, quia cambium est pretio exstimabile; ast non in ea quantitate, qua lucrantur alii Campsores, qui dictam Officinam habent, et pro ea pensionem solvere debent.

Q. *Ad quid tenetur famulus, qui pecunias grandiores deferendas Mercatoribus, commutat in minutioribus?*

R. Si domini voluntas erat, ut pecunia mercatoribus obveniret in eadem specie, et tunc tenetur ad restitutionem damni; nam in tali casu, mercatores jus habent exigendi a famulo pecunias grandiores, juxta debitoris mandatum. Secus, non tenetur; quia quod ex pecunia acquiritur est fructus industriae.

Q. *Quid est Assecuratio?*

R. Assecuratio est contractus, quo quis vel ob pretium, vel gratis suscipit in se periculum rei alienae, se obligando ad illius compensationem, si perierit (1).

---

(1) Hinc si quis ita contraheret cum aliquo: Ego

Q. *Est ne licitus contractus assecurationis*?

R. Est licitus, sub datis tamen quibusdam conditionibus.

Q. *Quaenam sunt hujusmodi conditiones*?

R. Sunt quae sequuntur; scilicet 1. Ut adsit aequalitas inter pretium datum, et obligationem susceptam, prudentis arbitrio; 2. ut petens assecurationem non cogat alterum ad ineundum secum tale contractum; 3. ut assecurator moneatur de veris periculis, quibus res assecuranda subjacet, ab eo, qui petit assecurationem; 4. ut periculum subsit saltem probabiliter, vel ab utroque judicetur subesse; 5. ut eventus rei sit utrique incertus (1).

Q. *Quale pretium accipi potest in assecuratione maritima*?

R. Si pretium est in scriptura expressum, tale pretium accipi potest. Si vero non est in scriptura expressum, statuendum est a Mercatorum conventu, vulgo *borza di cambio* (2).

Q. *Quo tempore incipit, et finem habet assecuratio*?

R. Tempore in contractu ipso assecurationis statuto; quod si tale tempus non fuerit statutum: quoad navem, et res ad illam pertinentes incipit a die, in

---

solvo tibi decem v. g. pro quolibet centenario, et ita assecuras meam navim, ut si forte perierit, vel naufragio, vel incursione piratarum, mihi damnum compensare debeas; talis contractus dicitur assecuràtio.

(1) Quapropter si assecurator est certus quod merces sunt salvae, et jam in tuto positae, uti amitti non possint; aut si mercator certo sciret merces jam periisse, contractus assecurationis esset nullus; et tam ille, quam iste tenentur ad restitutionem.

(2) Ita ex Cod. noviss. art. 97.

qua panduntur vela, usque dum in portum invehitur; quoad merces vero incipit a die, in qua navi imponuntur, usque dum, illarum exoneratio fiat (1).

Q. *Quid est Fidejussio?*

R. *Fidejussio est contractus, quo quis alienam abligationem in se suscipit, promittens sub fide sua illius adimpletionem si debitor principalis non solverit* (2).

Q. *Quinam possunt fidejubere?*

R. Omnes illi, qui liberam suorum bonorum administrationem habent (3), et non sunt a lege prohibiti (4).

Q. *Potest ne aliquando mulier nupta sine mariti licentia fidejubere?*

R. Affirmative; nempe in illis rebus quae pertinent ad negotiationem, quando ipsa publicam mercaturam exercet, separatim a marito (5).

Q. *Potest ne fidejussor accipere pecuniam pro fidejussione?*

R. Si fidejussor scit aliquod esse periculum; vel damnum, tunc potest, quia in hoc casu fidejussio

---

(1) Vid. art. 533. et 319.

(2) Ita §. 1. Iut. tit. de fidejus. Et L. Sicne D. cod. tit.

(3) Quare fidejubere non possunt 1. filii familias, qui non habent bona castrensia; vel quasi castrensia; pupilli, minores; Religiosi professi, etiam superiores sine consensu majoris partis Capituli; item mulier nupta sine viri consensu; vel, si maritus est minor, sine auctoritate Judicis.

(4) Consul. F. L. Ferraris V. Fidejussio etc.

(5) Ita expresse in Cod. novissimo art. 209. his verbis: « La moglie esercitando pubblicamente la mer» catura, può senza l'autorizazion del marito contrarre « obbligazioni per ciò che concerne il suo negozio ».

est pretio extimabilis. Si vero, certo scit nullum esse periculum, vel molestiam, non potest.

Q. *Tenetur ne fidejussor in conscientia solvere, et ante Judicis sententiam?*

R. Affirmative. Nam si ipse suam fidem, pro principali obligavit; quoties ille non solvit, uti in conscientia debet, tenetur ipse in conscientia solvere; quia illius vices gerit.

CAPUT XXI.

De Pignore, Hypotheca; et Transactione.

Q. *Quid est pignus?*

R. Pignus est contractus, quo debitor dat creditori rem aliquam pro debiti securitate.

Q. *Quid est hypotheca?*

R. Hypotheca est contractus, quo res immobilis, nuda conventione, et absque traditione obligatur creditori ad securitatem debiti (1).

Q. *Quotuplex est hypotheca?*

R. Hypotheca multiplex est; nempe 1. Universalis; 2. particularis; 3. Legalis; 4. Judicialis, et 5. conventionalis. Universatis est illa, qua obligantur omnia bona debitoris, quae alienari possunt; Particularis vero, qua bonum aliquod particulare tantum obligatur. Legalis est illa, quae procedit a lege; Judicialis est illa, quae procedit a sententiis actuum judicialium. Conventionalis tandem, quae pendet a

---

(1) Esto; contractus pignoris, et hypothecae in jure saepe soleant invicem confundi, adest nihilominus aliqua inter eos differentia; nam pignus est res, quae reipsa traditur creditori; hypotheca non tradit rem, sed illam nuda conventione obligat. Pignus est de re mobili; hypotheca vero de re immobili.

conventionibus, et a forma extrinseca actorum, et contractuum (1).

Q. *Ad quid tenetur, qui dat pignus, vel hypotheca?*

R. Tenetur 1. rem non dare pluribus; quoties ipsa sufficiens non est pro omnibus debitis; 2. restituere impensas factas pro conservatione pignoris (2); 3. monere emptorem de hypotheca si ipse rem hypothecatam vendat.

Q. *Quaenam sunt obligationes recipientis pignus vel hypathecam?*

R. Sunt quae sequuntur; scilicet 1. diligenter servare pignus, ne deterior fiat; (3) 2. non uti re oppignorata; (4) 3. non vendere pignus, nisi debitore debito tempore non solvente, et eo prius monito 4. soluto integre debito, statim restituere pignus 5. non apponere paenam commissi; hoc est quod si debitor statuto tempore non solvat, pignus sit suum.

Q. *Quid est Transactio?*

R. Transactio est pactio non gratuita de re dubia (5),

---

(1) De his tribus posterioribus, quae observanda sunt, distincte leguntur statuta in Codice noviss. Tit. XVIII. distinc. Cap. et Art.

(2) Ita enim expresse in Cod. noviss. art. 1950. his verbis: « Il debitore deve dal suo canto compensare » al creditore le spese utili, e necessarie fatte da co- » stui per la conservazione del pegno.

(3) Ex cod. eod. art. 1950.

(4) Ita ut juxta laud. Cod. art. 1948. « È nullo » qualunque patto, il quale autorizzi il creditore, ad » appropriarsi il pegno, o a disporne senza le formalità » sopra prescritte ».

(5) Ut ergo transactio subsistat debet esse de re dubia, ita ut si quis sciret, sibi nullum jus competere in rem, sive in conscientia, sive in foro externo, si transactionem faceret haec foret nulla. Ulterius debet

et controversa (1).

Q. *Quinam possunt transigere?*

R. Omnes illi, qui possunt disponere de rebus in transactione comprehensis (2).

Q. *Quid requiritur ut contractus transactionis valeat?*

R. Requiritur ut sit redactus in scripturam (3).

Q. *Potest ne rescindi transactio?*

R. Affirmative, idque in casu erroris in personam, vel objectum controversiae; nec non in omnibus casibus, in quibus intervenit fraus, vel dolus (4).

Q. *Dantur ne casus, in quibus transactio est nulla?*

R. Affirmative; et sunt 1. quando est facta super documenta, quae postea cognita sunt falsa; 2. quando transactio alicujus litis, quae fuisset finita cum sententia in judicato transita, de qua ambae partes, vel una ex ipsis notitiam non habebat 3. quando ipsa non respiciat nisi unum solummodo objectum, et probatum remaneat documentis de novo inventis, unam partem, nullam super idem objectum habere rationem (5).

---

esse de re controversa; adeoque si circa rem lata est sententia a legitimo Judice, et competenti, transactio non subsistit.

(1) Ex L. 29. C. de transact.

(2) Ita expressis verbis in Cod. noviss. art. 1917. » Per transigere, è necessario che si abbia la capacità » di disporre degli oggetti compresi nella transazione. Quinam vero possunt transigere; vide ibid. et seq.

(3) Ex eod. Cod. art. 390, et 1916.

(4) Ibid. art. 1925.

(5) Cod. laud. art. 1927. 1928. 1929.

CAPUT XXII.

De Ludo et Sponsione.

Q. *Quid est ludus?*

R. Ludus est contractus, quo ludentes bona propria aequaliter deponunt, cum pacto, ut victori cedat id quod depositum est.

Q. *Quot sunt species Ludi?*

R. Tres; scilicet vel solius industriae, vel solius sortis, vel sortis simul, et industriae.

Q. *Est ne hic contractus validus?*

R. Affirmative, modo tamen adsint sequentes conditiones; nempe 1. quod absit omne dolus, vel fraus; 2. quod ludentes possint disponere de re sua, quam deponunt; 3. ut aequalis sit colludentium conditio (1).

Q. *Est ne etiam licitus?*

R. Natura sva est licitus, sub sequentibus conditionibus; scilicet 1. ut non ludatur principaliter ad lucrum faciendum (2); 2. Ut non consumetur multum temporis in ludo; 3. Ut ludus non sit causa peccati, aut scandali (3).

Q. *Dantur ne Ludi jure positivo prohibiti?*

R. Affirmative; uti sunt Ludi alearum, vel

---

(1) Hinc si quis satis peritus in ludo, cum aliquo ludaret, qui parum, aut nihil foret in ludo instructus, non potest retinere lucrum ex ludo perceptum.

(2) *Et si lucrum ita ardenter intendatur, ut totam mentem occupet, est peccatum mortale,* ait S. Thomas 2. 2. q. 158. art. 3.

(3) Quod difficile accidit. Unde Seraphicus Doctor in Spe. inquit, *quod ludus videatur habere rationem, peccati mortalis, quia ludo multa communicantur peccata; scilicet fraus, mendacium, perjurium, blasphemia, scandalum, amissio temporis, et ita frequenter.*

chartarum *(1)*; et praecipue illi qui vulgo, dicuntur *d' invito, e di parata*, videlicet di *bassetta*, *di primiera*, *banco fallito*, *Zecchinetto*, *di dadi*, *e di farinole*, vel etiam d' invito (2).

Q. *Potest ne quis retinere lucrum, quod ex Ludo percepit?*

R. Si lucrum perceptum fuit ex ludo licito, et debitis conditionibus facto, potest retinere (3). Si lucrum est perceptum ex ludo illicito, et a Legibus vetito, et tunc non conveniunt inter se Theologi (4)

Q. *Ludi qui sorte reguntur sunt ne Clericis prohibiti?*

R. Prohibiti sunt Clericis Jure tam Canonico, quam Civili (5). A mortali tamen excusari possunt Clerici, si rare, modico temporis spatio, in parva quantitate, absque ullo scandalo, et privatim ludant.

---

(1) Ita ex Concilio Iliberitano Can. 19.

(2) Ex Pragmat. Anni 1753 edita a Carolo utriusque Siciliae Reg. In Codice autem noviss. expresse non habetur hujusmodi prohibitio.

(3) Ex Codice autem novissimo art. 1857. La legge » non accorda azione veruna per un debito di giuoco, » o pel pagameuto di una scommessa.

(4) Angelicus Doctor 2. 2. q. 32. art. 7. ad 2. cum aliis, inquit non posse retinere; alii dicunt posse, quia non adest peccatum contra justitiam. In Codice novissimo hoc tantum statutum legitur art. 1839. nempe: Il perdente » non potrà in verun caso ripetere quanto avesse volontariamente pagato; purchè per parte del vincitore » non siavi stato dolo, o truffa, e purchè il perdente » non fosse minore ».

(5) Uti ex Can. 42. 43. Apostolorum, et titolo de *Vita*, *et honestate Clericorum*, cujus haec sunt verba *Clerici ad aleas, et taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint*. Quod a Trid. Sess. 22. C. 1. de Refor. innovatum fuit, et confirmatum.

Q. *Si quis luderet pecunia aliena, cujus esset, quod ludendo acquirit?*

R. Non consentiunt inter se Theologi. Verum probabilius videtur esse domini pecuniae, quoties ipse non habebat aliud, quod domino reddere poterat, casu quo perdidisset.

Q. *Quid est Sponsio, vulgo scommessa?*

R. Sponsio est contractus, quo duo, vel plures, de veritate, vel eventu alicujus rei contendentes, sibi invicem aliquid spondent, ut illius sit, qui veritatem est assecutus.

Q. *Est ne licitus hujusmodi contractus?*

R. Est licitus, sub datis tamen sequentibus conditionibus; nempe 1. Ut sit aequalitas rei sponsae; 2. ut fiat de re dubia; 3. ut uterque eodem sensu accipiat id, de quo certatur; et 4. ut fiat de re licita (1).

(1) Excipienda tamen est Sponsio super electionem, vel mortem Pontificis. Haec enim ex Bulla Gregorii XIV. est prohibita sub excommunicatione Papae reservata; et ita quidem, ut quod tali sponsione lucratur, retineri non possit.

Atque hic, calamum deponentes, finem imponimus Tertiae, et ultimae Parti nostrae Moralis Theologiae. Grates sint semper Deo, qui meritis intemeratae Virginis Deiparae, dedit nobis et velle, et posse, et perficere pro bona voluntate. Ob infirmam namque valetudinem, qua benignus, et misericors Dominus nos visitare dignatus est, admodum difficile videbatur fore aliquando, ut opusculum hoc finem haberet. Quantum potuimus, quae necessaria Juveni Confessario, pro examine subeundo visa sunt, in eo collegimus, atque explicavimus. Verum haec admodum pauca sunt si conferantur cum illis, quae in Morali materia, et casibus conscientiae scripta sunt; atque accidere solent. Proinde ut Confessarii muneri suo rite satisfaciant consulere saepius dedent Auctores, inter quos in hoc opere passim citatos, S. Alphonsum praesertim a Ligorio, P. Lucium Ferraris, P. Anacletum, P. Concina, aliosque cum Besombes.

FINIS.

INDEX
HUJUS TERTIAE PARTIS

TRACTATUS I.

De Ecclesiae Praeceptis.

TRACTATUS II.

De Ecclesiae Sacramentis in genere.

TRACTATUS III.

De Sacramentis Baptismi, et Confirmationis.

TRACTATUS IV.

TRACTATUS V.

TRACTATUS VI.

TRACTATUS VII.

TRACTATUS VIII.

De Justitia, et Jure.

TRACTAUS IX.

ERRATA CORRECTA.

Pag. 2. *v.* 28. Sabathi, *lege*, Sabati. *Pag.* 14. *v.* 9 Sabathi, *lege*, Sabati. *Pag.* 15. *v.* 3. Sabathi, *lege*, Sabati. *Pag.* 16. *v.* 1. Sabathi, *lege*, Sabati' *in N.* (1) *v.* 7. servandum, *lege*, servandam *in N.* (2) *v.* 4. moraliter, *lege*, mortaliter. *Pag.* 18. *in N:* (3) *v.* 6. aetetis, *lege*, aetatis. *Pag.* 20. *in N.* (2) *v.* 2. probibeatur, *lege*, prohibeatur. *in N.* (4). *v.* 4. otus, *lege*, potus. *Pag.* 22. *v.* 19. tenetu, *lege*, tenetur. *in N.* (1) *v.* 5. muneri, *lege*, muneri. *Pag.* 30. *in N.* (1) *v*, 6. currunt n Nobis, *lege*, currunt, a Nobis. *Pag.* 36. *in N.* (3) *v.* 2. lagitur, *lege*, legitur. *Pag.* 37. *in N.* (3) *v.* 3. illuminatur, *lege*, illuminantur. *Pag.* 41. *in N.* (2) *v.* 6. Ministeriorum, *lege*, Mysteriorum. *Pag.* 46. *in N.* (2) *v.* 6. consecraatam *lege*, consecratam. *Pag.* 49. *in N.* (1) *v.* 5. ejuscumque, *lege*, cujuscumque *Pag.* 51. v. 14. peceat, *lege*, peccat. *Pag.* 54. *v.* 7. interari, *lege*, iterari. *P.* 55, *v.* 4. coutrito, *lege*, contrito. *Pag.* 57. *v.* 11. Saeramento, *lege*, Sacramento. *Pag.* 59. (2) (3) (4), *lege*, (1) (2) (3). *Pag.* 63. *in N.* (2) Batismum, *lege*, Baptimum. *Ib.* Notae (4) (5) (1) (2), *lege*, (1) (2) (3) (4). *Pag.* 64. *v.* 11. faeere *lege*, facere. *Pag.* 75. *v.* 16. conscerari, *lege*, consecrari. *Pag.* 72. *in N.* (2) *v.* 3. Saoerdotibus, *lege*, Sacerdotibus. *Pag.* 78. *v.* 11. lieet, *lege*, licet. *Ib.* *v.* 16. propiuqua, *lege*, propinqua *Pag.* 79. *in N.* (1) *v.* 8. peregi, *lege*, peregit. *Pag.* 81. *v.* 21 serveto, *lege*, servate. *Pag.* 93. *v.* 22. ob stationem, *lege*, oblationem. *Pag.* 98. *in N.* (2) *v.* 1. Miesae, *lege*, Missae. *Pag.* 99. *v.* 25. 2, *lege*, 3. *Ib. in N.* (1), *v.* 4. intercessione, *lege*, intercessione. *Ib.* *v.* 20. t, *lege*, et. *Pag.* 103. *in N.* (6) *v.* 5. satisfuciet, *lege*, satisfaciet *Pag.* 105. *v.* 16. moratiter, *lege*, mortaliter. *Pag.* 110. *in N.* (1) *v.* 2. gavem, *lege*, gravem. *Pag.* 111. *v.* 6. vaeare, *lege*, vacare. *Pag.* 112. *v.* 25. quod, *lege*, quod. *Pag.* 113. *v.* 26. *lege*, 2. *Pag.* 114 *in N.* (2) *v.* 7. caritate e, *lege*, caritatem perfectam esse contingat *Ib.* *v.* 9. concipiatur, *lege*, suscipiatur. *Pag.* 15 *in N.* (1) *v.* 1' Cap. XX., *lege*, Cap. I. *Pag.* 122. *v.* 5. Saeerdoti, *lege*, Sacerdoti. *Pag.* 123. v. 11. peccatnm. *lege*, peccatum. *Pag.* 124. v. 25. materiaiis, *lege*, materialis, *Pag.* 129. v. 7. exequendis, *lege*, exequendibus. *Pag.* 130. *in N.* (2) v. 4. injungeres, *lege*, injungere. *Pag.* 131. *in N.* (1) v. 1. iufirmis, *lege*, infirmis. *Pag.* 132 *in N.* (1) *v.* 3. nnn, *lege*, non. *Pag.* 135. v. 4. Saeramento, *lege*, Sacramento. *Pag.* 141. v. 20. Saeerdotis, *lege*, Sacerdotis. *Pag.* 145 v. 1. loqueudo, *lege*, loquendo. *Pag.* 149. v. 15. veeo ohlivio, *lege* vero oblivio *Pag.* 150. *in N.* (1) v. 3. confluentee, *lege*, confluentes. *Pag.* 153. *in N.* (1) v. 1. resrvatio, *lege*, reservatio. *Pag.* 154 v. 17. confugienies, *lege*, confugientes. *Pag.* 155. v. 25. persona, *lege*, personae. *Pag.* 158. v. 18. nomioe, *lege*, nomine. *Pag.* 160 *in N.* (1) v. 1. declarmus, *lege*, declaramus. *Pag.* 161. v. riservatum, *lege*, reservatum. *Pag.* 165. v. 20. duodeeimus, *lege*, duodecimus. *Ib.* v. 21 confieintes, *lege*, conficientes. *Pag.* 166. v. 21. soleut, *lege*, solent. *Pag.* 167. v. 17. pernotationem, *lege*, pernocta-

tionem. *Pag.* 169. v. 3. viribus, *lege*, vicibus. *Pag.* 170. v. 10. eensus, *lege*, census. *Pag.* 172. v. 4. Pasehate, *lege*, Paschate. *P.* 175. *in N.* (3) v. 1. dietum, *lege*, dictum, *Ib. N.* (5) v. 4. poeniteutiam, *lege*, poenitentiam. *Pag.* 177. v. 23. Romanum, *lege*, Romanum. *P.* 184. *in N:* (1) v. 8. communilate, *lege*, communitate. *Pag.* 188. v. 24. Quondam, *lege*, Quodnam. *Ib.* v. 29. Ut sit, *lege*, 2. Ut sit. *Pag.* 193. v. 22. Siguis, *lege*, Signis. *Pag.* 194 *in N.* (2) v. 6. conradixerint, *lege*, contradixerint. *Pag.* 196 v. 4. coniditio, *lege*, conditio. *P.* 199. *in N.* (1) v. 2. quascnmque, *lege*, quascumque. *Pag.* 202. *in N.* (1) v. 6. Dominum, *lege*, Domino. *Pag.* 204. *in N.* (1) v. 1. Fnraris, *lege*, Ferraris. *Ib. in N.* (3) v. 3. da, *lege*, de. *Pag.* 205. v. 24. de de presenti, *lege*, de prasenti. *Pag.* 219. *in N.* (1) v. 4. csnstuendis, *lege*, constituendis. *Pag.* 225. v. 7. sv, *lege*, se. *Pag.* 227. v. 8. eontrahat, *lege*, contrahat. *Pag.* 233. v. 1. verc, *lege*, vere. *Pag.* 324. *in N.* (1) v. 2. cenjugalis, *lege*, conjngatis. *Ib.* v. 4. excommunieationis, *lege*, excommunicationis. *Pag.* 235 *in N.* (1). v. 2. eum, *lege*, cum. *Pag.* 237. *in N.* (2) v. 3. fornificotione, *lege*, fornicatione. *Pag.* 240. v. 17. Duolicis, *lege*, Duplicis. *Pag.* 245. v. 24. finem *lege*, fidem. *Pag.* 251 *in N.* (1) v. 4. dy, *lege*, ly. *Ib.* v. 5. landi, *lege*, dandi. *Pag.* 253. v. 7. aequiritur, *lege*, acquiritur. *Pag.* 254. *in N.* (1) v. 1. utrum que, *lege*, utrumque. *Ib.* Deminium, *lege*, Dominium. *Ib.* v. 21. sermo non est, lege, sermo est. *Pag.* 255, v. 26. od, *lege*, ad *Pag.* 261. *in N.* (1) v. 4. serevs, *lege*, servus. 263. *in N.* (2) v. 3. simpliplicemque fructus, *lege*, simplicemque fructus. *Pag.* 265. v. 14. ineideril, *lege*, inciderit. *Pag.* 275. v. 5. minus, *lege*, minus. *Pag.* 278, v. 32. Benedictorum, *lege*, Benedictinorum. *Pag.* 295. v. 13. Parobi, *lege*, Parochi. *Pag.* 296. v. 20. dedueta, *lege*, deducta. *Ib. in N.* (2) v. 4. equm, *lege*, equum *Pag.* 299. v. 10. Prtimum, *lege*, Primum. *Pag.* 301 v. 18. eontractibus, *lege*, cotractibus. 305. *in N.* (1) v. 1. exthymologiam, *lege*, ethymologiam. *Pag.* 307. *in N.* (2) v. 1. in donatarium, *lege*, in donetorem. *Pag.* 308 *in N.* (1) v. 5. u, *lege*, ut. *Pag.* 311. v. 18. damo, *lege*, damno. *Pag.* 321 Cap. VIII. De Titulis ab usura excusantibus, Ubi de Pignore, Hypotheca, et Poenis contra Usnsarios, *lege*, Do Titulis ab Usura excusantibus. Ubi de Pignore, et Hypotheca. *Pag.* 325. v. 10. instantirm, *lege*, instantiam *Pag.* 326. *in N.* (4) v. 2. quaod, *lege*, quod. 329. Cap. X. de Testamento, Codicillo, Legato, et Fideicommisso, *lege*, De Testamento *Pag.* 331. v. 13. faro, *lege*, foro. *in N.* (3) v. 10. tota, *lege*, tuta. *Pag.* 336. v. 4. defuncte, *lege*, defuncto. *Pag.* 344. v. 1. casa, *lege*, casu. *in N.* (3) v. 4. vendisoris, *lege*, venditoris *P.* 346. *in N.* (4) v. 8. suut, *lege*, sunt. *Pag.* 353. v. 25. vet, *lege*, vel. *Pag.* 383. v. 17. locale; et manuale, *lege*, manuale, et locale.